

1770
1771
1772
1773

La colophon
Genes 1765



Handwritten text, possibly a date or reference number, including the number 420.

Städler


Zweiter Teil

darunter 4 salvinische
(2, 3, 7 u. 8)

L. VI. 77.







PHILIPPI MOR.³
NAEI, NOBILIS
GALLI,

Vitæ Mortisq; atq; ad eò huma-
narum actionum Chri-
stiana ac pia con-
sideratio.

INTERPRETE

ARNOLDO FREITAGIO EM-
BRICENSI.



FRANCOFORTI,
Excudebat Christophorus Corvinus.

M. D. LXXV.

a

PHILIPP MOR.
NABEL, NORLIS
GALLE

Vic. Moritz; ad idem hunc
namt schoum Ch.
hunc ad idem
liberum.

INTER
ARNOLO DE LA TAGION
FRANSE



AD
CLARISSIMUM VIRVM
HIERONYMVM MERCV-
rialem, Medicum Pata-
uinum.

Actutum subeas dia limina Mercurialis
Parue liber: Phæbiq³ feras tua munera
mysti.

Seu ver distinctum varijs sibi floribus annum
Ornarit: rabidove exurat Sirius aestu,
Autumnove suos diffundat copia fructus
Cornu: seu niuibus rigeat Germania sæuis,
Dignum laude virū plectro mea Musa sonabit,
Victrici figens splendentia nomina lauro.

A. Freitagius.

A ij

*Vita quid est hominis nisi lurida victima
mortis,*

Mors portus vitæ est, anchora firma, salus.

A. Freitagius.

Pigra soporatos labefactat inertia sensus,
Desidiâ fractum mentis acumen hebet:
At premit informem solers indago veternum,
Liberat & vitijs lumina nostra suis.
Assiduis igitur scrutemur apocrypha curis,
Absit & à nostra cognitione nihil.
Præcipuè vitæ quàm lubrica semita, fructus
Quanta sit in letho copia quisq; sciat.
Forſitan hospitij facies perspecta sinistra
Et satias vitæ, caussa salutis erunt.
Fortè animaduerso patriæ melioris honore,
Horror in extremo funere nullus erit.
Ista sed arguto curatè scripta libello
Indigenâ legit Gallia sola stylo.
Nunc vt ad externas labor aureus auolet oras,
Gallica Romano cultius ore sonant.

M. Henricus Meibom,
Lemouius, Academiæ
Iuliæ Professor.

*CLARISSIMO AC REI
MEDICAE CONSULTISSIMO VI-
ro, D. ANDREAE BACHERO, Illu-
strissimorum Ducum Brunsvicensium Archia-
tro, domino & amico suo obseruando,
Arnoldus Freitagius*

S. D



AT VRA ceu diuina que-
dam fauiffa, in rebus hisce
caducis ac mortalibus ad-
mirandum reconditæ suæ
sapientiæ (cuius thesauris
perpetuò turgēt) exēplar,
hominem immortalem creauit, ita ta-
mē vt morte immortalitatem istam con-
sequeretur. Hunc teste regio propheta
naturæ cōditor eò honoris euexit, vt dun-
taxat nō Deum crearet, cæteris rebus præ-
stantissimarum mentium æmulum. Qui
sua natura Deo iniurius, naturæ ingratus,
eas ipsas sibi quibus implicitus est ærum-
nas conciliauit, ratámque ac indissolubi-
lem moriendi legem sua sibi præuarica-
tione condidit, quæ ipsum tamen perpe-
tuæ, cui obnoxius erat, poenæ ac morti exi-
meret. Ille nihilominus cum probè hæc

A iij

sciat, neq; ignoret hanc fati necessitatem nullo pacto euitari posse, adeò sua dementatus est malitia, vt aduenientem summo cum horrore, truci vultu, voce lamentabili ac querebunda hospitem, qui in æternū ipsum domicilium, non, vt ait Poëta, exilium translaturus est, excipiat. Hac quidem etsi Deus cæcitate corruptos nostros mores feriat, reliquit tamē suæ bonitatis & clementiæ in multorum animis foecunda semper semina, quibus nutantes imbecilliorum mentes, perpetuò erigerentur. Quo factum est, vt etiam ab Ethnicis illa de vitæ mortisque consideratione ad nos peruenerint, quorum neque ipsos pudere, nec nos tædere debeat. Inter quæ istud Aegyptiorum ipsorum magis quàm nostra Philosophia dignum, meditati occurrebat, scitè illos domos nostras domicilia appellasse, tanquam breui tempore à nobis inhabitandas: defunctorum sepulchra æternas domos, quoniam apud inferos infinitum sit tempus. Atq; ita illi quidem dum in densissima caligine haud possent aliud facere quàm impingere, aliquid tamen quo se sustentarent, vitæque huius curas leuarent, inuenêre. Nos præ-
clara

elara nitimur spe ac fiducia in Deum, neque sepulchra æternas domos, neq; cum inferis vlli quicquam præterquam impijs esse cõmune certò credimus. Neq; tamen adduci possumus, vt è malè materiatis his ædibus ac ruinoso hospitiò placidè emigremus. Quocirca sapientioribus rectissimè semper visum est, neque malam esse mortem neq; formidandam. Id mihi videtur Stoicus ille Epictetus pulcherrima demonstratione non admodũ à Christiana pietate aliena exemplo sui Socratis insinuasse, cum dicit: Mortem non esse malum, alioqui & Socrati ita visum fuisse, sed opinionem de morte, quæ malam eam facit. Istud ad Christum verum nostrum Socratem, qui moriendo mortem destruxit, referamus. Ac friuolũ esse mortis metum, insigni rerum omnium quæ existunt diuisione, probat, quarum sint aliæ in nostra potestate, aliæ minimè. Harum curam & anxiam sollicitudinem nihil ad nos spectare, illas ex nostro pendere arbitrio, nostraq; culpa si negligentur fieri. Hæc ita toleranda, vt nemo sapiens sibi incauto ea euenisse turpiter ingemiscere debeat, ex quorum numero cùm mors sit & naturæ

legibus confirmata, & necessariò omnibus euentura, frustra ac stultè eam perhorrescimus, ac vitam quæ in summi Dei potestate est, intempestiuo desiderio tueri conamur. Istud nunc argumentum populari sua lingua, ita mihi tractasse hic videtur auctor, vt breuiter omnia quæ ad hanc materiam illustrandã pertinent, in vnum coëgisse videatur, sententijs grauibus concisis ac rotundis. Commodùm in eum morbo affectus incidi, cùm salutarem ægro medicinam suppeditaret, ideoq; iure quodam suo hanc operam à me postulare visus est, ne solis seruiret Gallis, qui artem omni hominum generi necessariam continet. Cuius si ego genium non expressi, si dicendi venerem affectus non sum (conuersionibus enim nihil, vt verè inquit Camerarius, iniucundius) ignoscet tãtus vir, quòd mihi imperare non potuerim, vt ab aliena segete abstinerem, spectauì vsum, non voluptatem. Feci id eo libentius maiorique animi ardore, quòd miles, quòd Christianus miles, quòd doctus miles, quòd pius miles, qui mortem perpetuò ob oculos habebat, de iugi & assidua mortis meditatione scripsisset, vt Cyclopes & Lapithæ di-

DEDICATORIA. 9

thæ discant, etiam inter arma locum esse virtuti, & Philosophiæ, vt intelligant mercenaria mancipia, quæ se vel demoni, modò stipendia mereantur, militaturos sceleratè audent profiteri, non esse omnes Alcibiadis (quo cum tamè viro propter multas etiam eius virtutes, quæ maximam vitiorum ipsius partem occultarunt, ne conferri quidem tales merentur) similes, non esse cunctos cothurnos, non Heraclides, non Calippos, flagitiosos ac crudeles patriæ ac pacis publicæ euersores, qui cheu tot funeribus, tot annis Galliam & Belgium compleuerunt. Habere hanc ætatem Epaminōdas, Timoleontes, Diones, Agidas, quibus salua patria & clypeo integro iucundum est cadere, quibus patria carior omnibus fortunis ac bonis est, qui malint vel suis in vsum publicum etiam ingratis sæpè ciuibus collatis, cum laude & conscientia rectè factorum, vel viuere tenuiter & absq; opibus diuites, ac sine diademate reges esse, vel honestè ac gloriosè pro patriæ, legum, ac ciuium salute occumbere, quàm humano sanguine impiè partis diuitijs, illustres esse facinorosi, & cum felici opum affluētia, & infeliciter viuere & pe-

A V



ius mori, & turpissimè apud posteros vti
 athei isti audire, qui iustam & extremam
 Nemesis impietatis ac sprete iustitię acer-
 rimam vindicem experientur. Vt demum
 re ipsa vel cum liuore & inuidia barbari isti
 agnoscant, esse adhuc viros qui non teme-
 rè in bello vitam cum dispendio suæ salu-
 tis & miserorū mortalium clade, sed cum
 emolumento insumant; Esse milites, qui
 non in vetitum nefas ruant; Istos verò qui
 prædæ ac rapinis inhiant, ac se innocentium
 sanguine cõtaminant, susq; deq; ferentes,
 quorum castra, modò ex spolijs ditescant,
 sequantur, sicarios, non milites esse. Tibi
 verò Clariss. D. Doct̃or probato ac bene-
 merito amico, libellum inscripsi, vt *φιλίας*
τεκμήριον officijque erga te mei existeret ara,
 & mutui amoris testificatio, absentis etiã
 imago amici. Erit itaq; vtriq; nostrum fa-
 tali naturæ lege cum cæteris mortalibus
 ad Olympicum stadium per Oceani huius
 scopulos, Syrtes & Carybdes, per mundi
 huius infestas latronibus solitudines, per
 hæc salebras ac montium crepidines, cõ-
 tendenti, si non facundus (vereor enim ne
 hac mea versione auctori facundo pluri-
 mum venustatis decesserit) saltem utilis
 viæ

DEDICATORIA.

11

viæ comes. Certoque nobis polliceamur, nos omnino ineptire, quotiescūq; nos hîc viuere credimus, cum non modò mortui inter mortuos, verumetiã, vt verè inquit doctis. Iulius Scaliger, inter ofores veræ vitæ ætatem transigamus, atq; adeò annos & animam perdamus. Rogemus Iesum Dei filium, ac Patris ingeniti sapientiam, quæ sua morte nos mortis formidine liberavit, ita nostram vitam dirigat, vt ad cælestem patriam summo cum Apostolo desiderio anhelemus, ne ex Alastorū nos faciat numero, ne violēta morte opprimat, qua non opprimemur, si in eius vera agnitione ac pietatis studio depositum istud, suas, inquam, non nostras, ad se rapuerit animas, nil morantes quocunque tandem lethi genere, siue momētaneo, siue longa calamitate ac morbis emaciatis corporibus, siue improborum opinione, ignominioso, nos ex hoc carcere atq; squalore ipsi euocare libuerit, nec quæsierimus scire nefas, quem tibi, quem mihi finem Deus dederit. Nunc auctorem audiamus loquentem.

LECTO:

12
LECTORI.

Perio-
cha.

Belli huius auctor, totus est in retundenda inani ista presumptione, qua nos tale quid in hac vita cōsecuturos fallaci persuasione imaginamur, quod post primorum nostrorum parentum lapsum, neq; fuit, neq; erit unquā, quādiu hęc mundi machina consistet. FORTUNAE vocabulum, quod hic aliquoties incidit, vsui vel veriūs abusui Gallicę linguae adscribatur, quę frequentius quā par est etiam nū eo utitur, quod quęcumq; vulgo eueniunt, latentibus nobis quidem causis, Ethnicorum imitatione à maioribus nostris Fortune adscripta sint. Quod ad Senecę epistolas nostro scripto subiunctas attinet, id factum

Senecę
Epistolas
quia La-
tinę sunt
omissi-
mus.

factum neminem offendat, tanquam destituti testimonijs Christiana religionis scriptorū Philosophum huc adduxerimus, nostri fuit instituti, profani auctoris scriptis veterum excutere, magisq; nos ipsos ad prestandum officium excitare. Nam hic naturalis iudicij lumine, mediocri experientia, ac rerum cognitione, quam de humana vitæ imbecillitate consecutus est, nos in meliorē longè ac præstantiorem portum inuitat, quàm qui aut ipsi obtigerit, aut alijs suo exemplo demonstravit.

VITAE

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

VITA



15

*VITAE AC MORTIS
Christiana ac pia conside-
ratio.*

Digna mihi semper admiratio-
ne & paradoxi instar res visa
est, quòd cum opificū ac mer-
cenariorū omne genus, vt alta
quandoq; quiete perfruatur, solis, vt ita di-
cam, etiam cursui instet, eundemque vr-
geat, nautæ vt portum contingant, remis
omni conatu incumbant, miroq; applau-
su conspecto à lōgè littore celeumate sum-
ma lætitiæ signa edant, viatores nullis vi-
tæ blandimentis prius capiantur, nil sibi
volupe ducant, quàm ad instituti itineris
metā peruenerint: nos soli, qui huius mun-
di laboribus atque ærumnis impliciti, con-
tinuè fatigamur, huius salii fluctibus agita-
mur, scabroso difficiliq; itinere atterimur,
hanc nostram tamen laborum metam in-
uiti plerique omnes cernamus, operisque
pensum absoluamus, securum hunc por-
tum cum lacrymis subeamus, neque si-
ne metu ac horrore nostrum istud cubile
ac trāquillum secessum ingrediamur. Vi-
ta hæc nostra Penelopes telæ similis est,
quæ

quæ texendâ quotidie retexendâq; venit,
 mare ventis ac turbinibus expositum, qui-
 bus modò extern⁹, modò internus homo
 miserè exagitur, iter extremis niuib⁹ ge-
 luq; impeditū, per rigidas montium cre-
 pidines, præcipitia, solitudines, latronum
 insultus ac grassationes. hæc quidem no-
 biscum quotidie animo agitamus, hoc pa-
 cto inter operas nostras sermocinamur,
 remisque vt ad portum appellamus ita in-
 cumbimus, at cū mortem in propin-
 quo esse, manumq; auxiliarem nobis ten-
 dentem, vt laboribus confectos reficiat, vt
 metam ærumnis constituat, vt nos in por-
 tum introducat, vt superatis periculosis
 huius mundi peregrinationibus molestis-
 que diuersorij, in nostrum domicilium
 inferat, cernimus, summi gaudij & magni
 ob conspectum litus, animi, cygneq; can-
 tionis loco, pristinos (si per fata id liceret)
 labores ac operas repetere, velificationem
 reiterare, ac nos tumultuoso mari rursū
 credere haudquaquam puderet, obliti vi-
 delicet omnium ærumnarum, obliti nau-
 fragiorum, obliti latronū ac prædonum,
 mortem non secus atque pœnam ac mul-
 ctam aliquam, ac peius scopulo aut latro-
 cinio

cinio denique ipso reformidamus. Puerorum ac infantium more agimus, qui etsi integros dies se lacrymis cōficiunt, inducto tamen medico se morbo vlli obnoxios esse pernegant. Neque ijs dissimiles sumus, qui amentium more huc illucq; totos dies miserè dentium dolore exanimati discurrunt, dolere se tamen conspecto chirurgo, qui se exempturū vitiosos dentes offert, inficiantur. Haud aliter agimus quàm delicatuli illi, qui in acuto pleuritidis dolore miseros quidem gemitus edūt, ac vixdum chirurgi aduentum præstolari posse videntur, quem vbi præsidij causa atque vt malo medeatur, scalpellum acuere cernunt, retrahunt brachium, seseq; inter stragula non aliter abdunt, quàm si de ipsis interimendis ageretur. Medicum grauiùs quàm ipsum morbum reformidamus, chirurgum peius dolore metuimus, incisionem magis quàm suppurationē. Momentaneā alicuius medicinæ amaritudinem ac molestiā faciliùs persentiscimus quàm longi ac diuturni morbi sæuitiam, finem citius ac metā miseriæ, quàm eorum quæ in hoc mundo toleramus diuturnitatem. Vnde, quæso, hæc nobis innata vecordia

B

atq; demētia? hinc scilicet, quòd qd mors ipsa sit, nō intelligim⁹; ea pertimescimus, quæ speranda erant, ea optamus quæ pertimescenda. Continuum mortem vitæ nomine dignamur, mortem eam appellamus quæ viuæ mortis exitus est, vitæq; æternæ ingressus. Quid porrò est in hac vita magnoperè expetendum, aut quid in morte, quod tantopere fugere cōueniat? totius nostræ vitæ periodos examinemus.

*Singulariū
ætatum æ-
rumnæ.
Prima in-
fantia.*

Gemebundi vitam ingredimur, sudore hanc transigimus, languore eam conficimus. Illustrium ac infimorum eadem est ratio. nemo est quisquam, qui se huic conditioni exemptum gloriari possit, adeoq; est cæteris animantibus iniquiori conditione homo, natus atque in hanc lucem editus, se loco mouere nequit, primis infantia annis omnis voluptatis expers, & sibi & alijs grauis, & infinitis ad eos vsq; annos quibus ratio ac iudicium in ipso vigere incipiūt, periculis expositus. Eo vno reliqua ætate felicior, quòd suā infelicem sortem non intelligit, adeone nunc quisquam est abiecti & socordis animi, qui si perpetuam infantiam optando cōsequi posset, ita sibi viuēdum duceret? Ex quo id facile perspicitur,

citur, si vitam ex seipsa suaq; natura metiaris, nihil eam in se boni complecti, sed bene ac feliciter viuere.

At longius progrediamur. Vbi corpus *Pueritia.* adoleuerit atque incrementum sumpserit, simul cum eo crescunt ærumnæ. Vix dum è nutricum manibus euasit, atque ignarus adhuc, quid in se voluptatis lusus habeat, ludimagistri ferulæ ac disciplinæ traditur (eorum dūtaxat rationem habeo, qui accuratissimè educantur) dum ludit, in perpetuo versatur metu, dum literis vacat, inuitus id quidem facit. Vniuersa ea ætas quam sub alterius tutela agit, carceris vicem obtinet. Nihil aliud animo volutat, non aliò aspirat, quàm quonam pacto ad illos annos quibus se ex alieno imperio in libertatem asserere, propriaque frui possit, perueniat, magnoque studio suæ ætati ac annis instat, vt possit ad eam, quam sperat & quam concepit animo libertatem, pertingere. Id demum anxie & vnicè quærit, vt infantia ac primæ illius ætatis terminū assequatur, quo prætextatis annis superatis, adolescentis nomen mereatur.

At adolescentiæ ingressus, quid cedo a- *Adolescentia.* liud est, quàm infantia interitus? quid vi-

rilis ætas, quàm mors iuuentutis? crastini diei ortus, quàm hodierni occasus? Mortem igitur, si ita rem consideremus, appetit, suæq; vitæ rationem infelicem iudicat, quo fit, vt neque beatus, neque sua sorte contentus censerî possit.

Iuuentus.

Talem nunc cõtemplemur hominem in ea quã summè expetiuit ætate, in libertate constitutum, ea inquam ætate, qua Herculi optio ingrediendi virtutis aut vitij semitam, data est, ducemque itineris, quam vellet, siue rationē, siue animi motus eligendi. In hoc nunc biuio constitutus, duarū vnā eligat, operæ pretium est, viam. Hic mirè illi blandiuntur affectus, mille escis ipsum illicere conantur, mille voluptatum mundanarum proponunt genera, vt effascinēt. At quæ eæ demum sunt deliciae? sceleratae & vitiosae, quæ mentem eius perpetua quadam veluti febre exagitant, eiusmodi oblectamenta, quorum vestigijs ac calcaneo poenitentia insistit, quæ veluti prurigo quadam, postquam longa scalpēdi libidine irritata est, ad extremum exulcerata doloris diuturnā memoriā relinquit: eiusmodi delitiæ quæ maximo cū dolore, labore ac periculo acquiruntur, at
momen-

momento dispercutunt, animum verò longa ac inquieta sui memoria exagitant, talis est omninò voluptatum huius seculi fluxarum ac caducarum natura, si quis eas in vniuersum examinet, nulla earū tanta dulcedine condita, quam nō vincat amaror, nulla quæ ita palato arrideat, vt stomachū non subuertat, vt longa consuetudine nau seam sumentis non adferat, nulla (quod omnium deploratissimū est) ita temperata, quæ non aliquid secum adferat, quod animum erodat, & sua carnificina mentem fauciet.

Nolo iam ea commemorare, quæ singuli fatentur voluptatibus inesse incommoda, iurgia, lites, plagas, homicidia, exilia, morbos, variaq; discrimina, in quæ vel vitæ incontinentia, vel ætatis imprudentia ac insolentia plerunque hominem præcipitare solent. Quod si quæ illi vitæ oblectamenta inesse videntur, hæ meræ sunt molestiæ, quod si voluptatum dolor, tãquam aquæ absinthij dilutum ingurgitatur, euidentis est, quid qualeq; sit quod quisque in ijs sentit iniucundi, & cuiusmodi sit ille amaror, quem quisq; vna cum ijsdem haurit: talis in vniuersum est adolescentia, quæ

legitimam excessit siue parentū, siue dominorum tutelam, & quæ frenum licentiæ, aut vt veriùs dicam, suarum cupiditatum effrenatæ seruituti laxauit, quæ haud secus, quàm impurus quidam spiritus hominem possidens, nunc in aquam, nunc ignem proturbat, nunc in præcipitium sustollit, nunc in ima deiicit. Quòd si rationē quidem ducem sequatur, considera quæ eum premant difficultates. Peruigilem ipsum in armis esse conuenit, & ad quoduis duellum singulis momentis in procinctu stare, vt cui cum hoste indefesso, nunc capiti, nunc lateri, nunc inferiorib. corporis partib. imminenti. continuè confligendū sit. At quo cum hoste? suis, inquā, cupiditatibus, quæ blanda eum frōte ac fallaci specie oblectant, cum hisce omnibus quæ vel cominus vel eminus cernit, maximo deniq; hoste, ipso mundo. Ac (quod cæteris quidem rebus maximè deploratu dignū) cū mille periculosis erroneis ac falsis propriæ suæ carnis opinionibus, animi desperatis perturbationibus, quæ ea maximè ætate vigent in homine, omnemq; ipsum opprimendi atq; in quoduis flagitij genus deturbandi occasionem quærunt. Hanc ei
solus

solus Deus Opt. Max. semitam demonstrare potest, solus ei victoriam in hisce conflictibus suppeditare. Videmus præterea, quàm sit exiguus istorum numerus, qui istud ingrediuntur iter, quàm multi iam ingressi pedem referant. Sequere quamcunq; istarum libuerit, tyrânico te perturbationum subdes imperio, conflictus grauis & periculosus tibi suscipiendus erit, aut te præcipitabis, aut vinculis & veluti compedib. quibusdam mancipabis, aut secundo flumine quiete vectaberis, aut summo cum labore contra fluctuum ac vndarû impetum, nauigio eluctabere. Videas licet adolescentem ea ætate falsarum ac vanarum illecebrarum poculis non secus obstupefactum, quàm solent sumptuosis symposijs ebrij: qui postero die pridianas fastidiunt epulas, easque nõ aliter, quàm nauiscabundi commemorant. Sunt alij, qui cum seriò quidem voluptatib. repugnarint, vsque adeò se defatigatos, ita fractos laborib. sentiant, vt parum admodum absit, quin se aut hosti prorsus dedant, aut sanè ærumnosæ vitæ tædio ac improbis laboribus eneruati mortem nõ multum defugiant. Hæ videlicet insunt florenti adolescentiæ amœni-

tates, ad quas summis votis pueri contendunt, quas prouectiores extremè fastidiunt.

*Virilis &
confirma-
ta ætas.*

Virilis nunc sequitur hominis perfecti ætas, hanc sapientiæ omnes addixere, illam se tranquillæ vitæ consecratos sperant. At ista consummata certè hoc vno omnibusque numeris perfectionis absoluta est, quòd vniuersa humanæ naturæ imperfectio, quã vel simplex ac fraudis nescia tegebatur infantia, aut inconstans ac inconsulta excusabat adolescentia, tunc primùm caput exerit, suamque perfectionem prodit. Alios prætereo, eos duntaxat hîc commemorandos censeo, quos prudentiũ ac beatorum albo mundus annumerat. Hactenus nos metus occupauit atque elusit, breuis fuit voluptatum meta, tristisque pœnitentiæ relicta memoria, nunc grauiora mala auaritia atque ambitio, quæ absolutum bonorum ac honorum cumulum, si ea adorauerimus, promittunt, mentem nostram occupant. Neque est quisquã mortaliũ præter veros ac legitimos Dei filios, qui non alterutrius amore dementatus, è summo fastigio sese det præcipitè. Ecquid verò sua quisque cupiditate proficiat, quid consequatur, excutiamus.

Aua-

Auarus mille fors conficit terra mariq; *Auaritia.*
peregrinationes, millies expositus latroci-
nijs ac varijs toties fortunæ vicibus, conti-
nuo labore metuq; agitated naufragia mil-
le euasit, non rarò absque insigni tempo-
ris dispendio, non sine morbo, arthritide,
corporisq; ac membrorum in ingraue-
scenti ætate, debilitatione. Otium vt nan-
ciscatur, sæpenumerò sibi negotium facef-
ferit, vitæ commoda reliquerit, suæque vi-
tæ vt opes congereret, vim intulerit. Fac-
iam istud vnà cum opibus consecutus sit,
fac orientem vniuersum vnionibus expo-
liârit, occidentis etiam fodinas exhausit,
anne eo ipso felicior quietiorque futurus
est? Ne exantlatis ille omnibus molestijs,
sumptibus, profectiõibus confectis ma-
ximum corpori atq; animo ærumnarum
cumulum agcessit. Tametsi ex vna mole-
stia in aliam deuolutus est, necdum hic mi-
seriæ terminus, sed calamitatis quædã per-
mutatio. Ingenti ac maximo diuitiarum
accumulandarum desiderio æstuauit, nūc
ne acquisitas perdat, anxie laborat, febrili
quodam ardore eas concessit, horrore eti-
am ac tremore nō absimili easdem possi-
det. Latronibus vti suas faceret sese expo-

fuit, nunc acquisitis opibus latrones ubiq;
insidiantur. Maximo eas studio è terræ vi-
sceribus exemit, conquiritas quærit qua ar-
te rursus in terram abdat atque recõdat.
Atque vt in vniuersum dicam, confecta to-
ta sua peregrinatione carceri se demum
mancipat, laborum ac ærumnarum, quæ
corpus infestabant, vice, septum se vndiq;
stipatumq; infinitis spiritus laborib. com-
perit. At istis hætenus laboribus pressus,
quid demum misellus acquisiuit? Mam-
mon, quem auaritiæ dæmonem nuncu-
pant, vanis suis illusionib. ac præstigijs, sin-
gulare se aliquid ei obtinere persuadet,
quo fit vt illi quod deploratis quibusdam,
quos malus genius in suã solet nassam per-
trahere, vsu veniat, qui loco auri signati
frondibus plenas se cõperiunt habere ma-
nus. Eam nunc rem possidet aut veriùs ab
ea possidetur, quæ sua naturâ, neque effica-
cia, neque virib. vllis prædita est, quæ mor-
bo tollendo minimè sufficit, vniuersis quas
terra profert herbis ac stirpibus longè infe-
rior, vilia coaceruauit excrementa, adeò
beluinam induit naturam, vt caput istius-
modi rebus condecoret, quas pedibus sub-
sternere ac conterere cõueniebat. At num
vel

vel hoc pacto cupiditati suæ satisfecit? Minimè gentium, quinimò maiori etiam quàm ante cupiditate æstuet. Nos istum maximè potum qui sitim sedat, eaquæ alimenta, quæ exigua quantitate corpus nutriunt atque à fame vindicant, cōmendamus. Hæc sunt eiusce generis vt quāto plus contra sitim famemque istorum ingeras, tanto minus siti inediaq; consulatur. Hydrops scilicet est, & fames imaginaria, aut verius βέλυσμα quidam, quo fit vt istud potius euenturum expectemus, vt medius quis dirumpatur atq; dissiliat, quàm vt opum affluentia saturetur. Istud longè pessimum est, tam altas in plerisque hanc sitim atque ingluviē radices egisse, vt vel altissimè effossis puteis, magnisq; inde laborib. exhausta aqua, illo ipso tamen, quo sitim leuent, ad extremum destituantur. In medijs vndis siti enecantur, in frumenti acervo fame pereunt, pollent opibus, neq; eas in suos vsus cōvertere audent. Frui iisdem videntur, cū minimum ex eis capiāt oblectamenti, neque sibi neque alijs eas congegesserint, adeoq; nihil eorum habent, quæ possident, quas porrò res non possident, istarum premuntur inopia, istudq; in sci-

psis experiuntur quod dici assolet, Auaro
tam deesse quod habet, quàm quod non
habet. Quare eò redeamus, vt acquisitio-
nem omnium istorum quæ falso nomine
bona appellantur, nil aliud quàm corporis
molestiam esse demonstremus: ac opum
possessionē maxima ex parte animi onus,
quod quidem eo corporis molestijs graui-
us, quo animus corpore puriori sensu defe-
catoriq̄ue præditus est. Tunc verò eos cu-
mulatim obruunt miseræ, cùm facultati-
bus spoliantur, vbi vel naufragio, vel dire-
ptione hostili, vel flāmis, aut simili aliqua
calamitate, cui caduca illa fortunæ bona
parent, è manibus extorquētur, absumun-
turq̄ue. Hinc gemitu ac eiulatu amissas fa-
cultates prosequuntur, hinc curis ac mœ-
rore animi haud secus seipso quàm pueri
solent, amissis suis nullius omnino pretij
quisquilijs, macerant. Neque vllis possunt
induci rationibus, vt credant nihil morta-
les in hoc mundo, quod morti ac interitui
nō sit obnoxium, possidere. Excoriati sibi
demum ac pelle exuti, nedum opibus vi-
dentur. Quo fit, vt cùm spem omnem atq̄
fiduciam in reb⁹ istis friuolis collocarint,
suasq̄ue humi cogitationes defixerint, his
destituti

destituti animum despondeant, atque in desperationis laqueos incidant, è quibus vix fit, vt quisquam eorum euadere atque ad saniozem mentem redire possit. Istud verò vincit oëm insaniam, quòd se id perdidisse omne autument, quicquid fœnore assecuti non sunt, damno id omne sibi reputantes suoque decessisse aceruo, quod non inusitato quodam lucro conflatis opib. adiecere, quorum quamplurimos eo adigit desperatio, vt necem sibi ipsis consciscant. Atq; vt paucis expediam, tale plerunq; est auaritiæ salariū, quod suis clientib. ac mancipijs erogat, quale cacodæmonis, à quo ipsa originem traxit, esse consuevit, qui simulatque aliquandiu suis gratificatus est discipulis, aut carnifici eos demū tradit, aut ipse illis guttur elidit. Prætereo nunc ea flagitia, quibus opum cumularum causa se auari emancipare solēt, quorum quidem conscientia illorum mens ceu furijs quibusdam perpetuò exagitur. Illud demum accidit vt violento hoc exercitio, quo multo maxima hominum pars inescatur atq; decipitur, corpus enecetur, mēs suffodiatur, anima demum ipsa absque vllis vitæ delitijs ac voluptatibus miserè pereat.

Ambitio. Nunc ad ambitionem accedamus, quæ honoris cupiditate stultè atque dementer præstantissimos etiã quosque à vero transversos agit. Num in ea nos plus felicitatis inuenturos arbitramur? fallimur, vel multò etiam minùs. Nam veluti avaritia, dum vili terræ excremento labores humanos compensat, nobis illudit, hæc nos fumo etiam aurãq; pascit, huiusce munera tantũ in se vanitatis continent, quantum illa rudis & incultæ materiæ. Vtraque quidem nos in profundissimum gurgitẽ deturbat, hæc tamen tanto periculosior est, quanto nos fallaci specie cautius fallit, quod veluti limpidissima aqua prima fronte pellucidior atque clarior, quàm ipsa avaritia apparet. Eorum qui se ambitioni consecrârunt, pars magno apud reges est in precio, alij exercitibus præsunt, distinctis quisq; officiorum ac dignitatum gradib. cernis hos ab alijs salutari, coli, atq; ab his metui quibus imperant, vides purpura, coeco, atque Attalicis nitere vestibibus. Atque adeò quidem cunctæ huiusce mundi deliciæ ipsorum duntaxat causa comparatæ esse videntur. Atque paucissimi sunt qui intelligant, quanto ipsos vel vncia vani istius honoris pre-

premat pondere, quanti isthæc veneratio ipsis constet, quàm carè vel vlnam pretio-
 forum istorum vestimentorum redimant. Quod si ista mortales seriò secum expen-
 derent, haud quenquam reperire esset, qui tanto pretio hæc sibi, atque adeò istud pœ-
 nitere compararet. Diutina ac molesta ser-
 uitate & obsequijs plerique ad honorum
 fastigia peruenère, qui quod reliquum vi-
 tæ est, periculis exponunt, haud rarò sine
 membri alicuius, veluti brachij aut cruris
 impendio, vt principis sui libidini obse-
 quantur, qui quidem vicinioris agri centū
 perticas pluris, quàm centum aut mille no-
 tæ fidei tales ministros, faciet. Infelix quidē
 ille est, qui seruit ei à quo non amatur, stul-
 tum etiā, existimare se magno apud eum
 in honore esse, qui vsque adeò suos flocci-
 facit, vt in discrimen vitæ ob rem nullius
 pretij adducat.

Assentādo ac parasitādo eò euecti sunt *Parasita-*
 plurimi, ij suas linguas manusque longo *rū artes et*
 temporis tractu ad quiduis dicendum pa- *graphica*
 trandumq; quod principi placeret, condo *vita auli-*
 cefecerunt, id quod sibi vir bonus nunquā *ca descri-*
 in animum inducere poterit. Fors mille *ptio.*
 istiusmodi hominū quisquilię tulère iniu-

rias, fors etiam in faciē sibi expui passi sunt. Hi tametsi maximē quidē familiares principibus, summeque ipsorum delitiæ adeoque pulli Iouis esse videantur, haud alio tamen apud illos loco sunt, quā apud ferocissimos, maximēque omnium animantium indomitos leones, ipsorum solent esse moderatores, qui quanquam longa patientia, mille inescationibus, mille blandimentis leonē cicurārint, istud tamen quotiescunque ei cibum præbent accuratissimē observant, vt manum è vestigio retrahant, id cautē subuerentes, ne casu ea mordicus apprehensa, suo moderatori è clathris longi temporis ac ministerij mercedem persoluat. Similis est plerunque aulicorum omnium, qui in summo principum favore sunt exitus.

*Principū
erga aulicos
ministros
ingenua.*

Principibus istud volupe est, vt cum quē ad summum rerum fastigium euexerint, atque ad laborum metam peruenisse videant, ad ima rursus ex alto deturbent: si quem opibus cumularunt, eundem ceu spongiam turgentem ac tumidam denuò exprimunt, philauti sunt ac sibi solis placent, cæteros eò vt sibi suisque delitijs mancipentur genitos existimant, cæcum istud
aulico-

aulicorum genus se multos habere amicos arbitratur, habere quàm plurimos à quibus colatur, neq; satis considerat eodem se modo ab alijs honorari, quo ipsum fictè se alios venerari simulat. Potentiores hos ferè contemnunt, neque vnquam nisi exerta in ipsorum contumeliam lingua, salutant, inferiores quòd ipsorum ope egeant, salute eos impertiuntur, fortunam scilicet ipsorum, subsellia vestesque venerantur. At æquales (inter quos maximè amicitia locum obtinet) mutuis æstuant odijs, calumnijs, insidijs, liuore perpetuo, aut priuati mali, aut fortunæ prosperæ alterius causa, seipsum excruciant. Inuidia verò cùm nullum tormentum sit maius, verissima quèdam animæ tabes existit. Vides hosce igitur omni amicitia, quã cuncti qui sana mente, sanoque consilio sunt homines, summum semper bonum inter mortales iudicarunt, esse destitutos. Vis melius eos depingam? Cùm fortuna caluum occiput ac tergum ipsis obuertit, ab omnibus deseruntur, eadè si caperat frontem, transuersis eos hircis cuncti intuentur. Si splendida veste eos exui contigerit, nemo est, qui eos amplius agnoscat.

C

Quod si ex aduerso indigno cuiquam atq; infami eadem conferantur exuuiæ, is citra omnem controuersiam ac difficultatem huiusce vestis potentia ac titulis, hæres omnium, quos prior possederat, honorum dignitatumque fiet, illi interim haud secus tument atque superbiunt, quàm asinus ille dofluari⁹, qui cum Isidis olim deæ imaginem baiularet, diuinos deæ honores exhibitos sibi adscribebat, haud considerantes fortunam se dorso gestare, quàm vulgus veneretur, non ipsos coli, fortunamque ab ijs tanquam ab asinis ut plurimum circumferri. Verum enim uerò dicat quispiam, quandiu secunda hæc ipsis affulsit fortuna, commodè ad minimum vixere atque ex animi sententia, & qui tribus aut quatuor annis plus minúsve genialiter vixit, infelix tota vita censendus non est. Commodè vixit scilicet, si istud modò commodè ac tranquillè est viuere, perpetuo metu angi, ne è summo dignitatum culmine quo quis scandit, quandoq; in ima deturbetur, si istud ad beatitatem facit insatiabili cupiditate ad altiora quotidie aspirare. Quos tu, ô amice, tranquillè ac feliciter viuere, dum extrinsecus consideras,

CONSIDERATIO.

35

sideras, arbitraris, hi longè aliud in pectore circumferunt. Carceres sunt splendide ædificati, pleni profundissimarum caavernarum ac latibulorum, densissima caligine, anguibus ac tormentis referti: qui spatiose tibi habitare videntur, amplasq; incolere ædes, ipsi se in arctum & angustum coactos sentiunt, quos tua opinione in summo rerum apice cõstitutos existimas, illi ipsi se humili admodum abiectoq; loco esse iudicant. Sunt ij sæpenumerò qui se morbo aliquo teneri autumant æquè infirmi, atq; hi qui re ipsa aduersa valetudine affliguntur, reges cum esse possint, neque tamen de seipsis aliter, quàm si dominorum aliclæ essent, sentiant, re ipsa tales sunt, cum id ipsum reapse sim⁹, quod nos esse opinamur. Multis stipatos vides satellitibus, at hisce etiam quos corporis custodiæ deputarunt, quàm minimùm fidunt, neque cum soli sunt, neque cum in aliorum contubernio, metu vacant. Soli post tergum respiciunt, in conferta hominum turba vndique oculos circumferunt atq; circumspectant. Ex solido auro atq; argento bibunt, at ea sunt pocula, non figlina aut vitrea, quibus toxica propinari

C ij



solent, molli beneq; strato incumbunt toro, nedum murem audias, dum se ad somnum capescendum composuerunt, per ipsorum cubile discurrere, ne musca quidem dormientibus molestiã vllam conciliat: rusticum interim videas propter aque leniter labentis murmur, aut medio in foro ac compitis humi quo lecti vice, cælo autem stragulæ vtitur, omnibus solutū curis, prostratum, multò suauius quàm hos in summo silentio ac quiete dormientē, dum corpus in quamuis partem versant, sese perpetuò aliquid audire existimant, adeò ipsorum inquieta quies est. Quidnam inter hos illosque qui grauissimo ac teterrimo carceri mancipati sunt, intersit, scire desideras? Vterq; compedibus vinctus est, hic ferreis corpus onustum habet, ille aureis animū, sua trahit captiuus vincula, aulicus implicatus est suis. Compeditus in medijs subinde ærumnis seipsum solatur, & cantu suam leuat miseriam, male seipsum aulicus excruciat, neq; vnquam à curis mentem relaxat. Falleris si aulicos pacato esse animo tibi persuades. Summo ac eminenti illos esse loco iudicas, quòd ad rerum fastigia euecti sint. At eadem dementiã

mentiam nanum magnum feceris, si fors in speculam aliquam aut montis cacumen ascenderit, statuam cum sua basi metiris, adeo videlicet bonus geometra es, cum ipsa per se non loci respectu considerata ac metienda sit. Quod si seorsim a basi consideraueris, pusillam admodum iudicabis. Magnos quidem illos iudicas (si vllam in terram cadit magnitudo, quæ cæli respectu puncti instar est) at si ipsorum animi penetralia tibi introspicere liceret, neutiquam magnos comperires. Vera namq; magnitudo in cõtemptu istarum omnium vanarum magnitudinum quæ oculis nostris patent, & quarum illi mancipia sunt, qualia interim se esse minimè arbitrantur, consistit, cum altiùs indies scandere magno conamine nitantur, neque se altè satis sua opinione ac suopte iudicio ascendisse autument. Scopum sibi cogitatione multi præfigunt, ad quem si perueniant, se quiete ac ocio perfruituros, cum animo paciscuntur suo. Ad metam optatam deuentum est, vixdum respirandi locum sibi relinquunt, sublimiùs scandere desiderant, mens altiorum rerum desiderio æstuat. Quæ res infimo adhuc loco consti-



tutis, summa esse videbatur, eandē nunc gradus vnius vicē vix obtinere arbitrantur. Humili se quisquam loco esse existimabat, quòd altiori quā ipse sit aliquem esse cernit, cum se in fastigio collocatum qui hominum myriadem inferiori se esse conditione non ignoret, iure intelligere debebat. Eoq; demum conscendit, vt aut spiritus ipsum deficiat, aut ex alto in præceps labatur, quòd si fors maximo eò demum cum labore pertingat, veluti in summo alpium cacumine degentibus contingit, non nubibus, ventis ac grandinibus iam obnoxium solum se reddit, sed tonitruis etiam, fulminibus, grauissimis tempestatibus, omni se deniq; grauissimæ aëris iniuriæ ac maiori vi, quæ partim metu humanas mentes concutere solent, partim grauissimis etiam periculis innodare atque inuoluere, quæ quidem suas contra eiusmodi hominum inanem fastum, vires exerunt, eorumq; superbiam fulminis ictu conterunt, atq; in fauillam & puluerem redigunt. Dabitis mihi ista forsā omnia, exemplorum auctoritate compulsi, quibus tota plena est antiquitas, quibus plenissima sunt historicorū monumenta.

At

At isti, dicet interim quispiam, videntur citra omnem controuersiam cunctis hisce exempti iniurijs, quorum capiti natura ipsa in hoc mundo diadema imposuit, quibus sceptrum tradidit, quos eadem ab incunabulis ad tantum tamque eminens rerum fastigium euexit, tanto etiam rerum successu, ut sine labore molestiaque vlla eò ascendisse videantur. Ideoque, se iure hocce beatos appellare posse. At ita se res forsan habeat, minus hi difficultatū alijs, quòd in eo rerum apice nati educati que sint, sentiant, idemque ijs usu veniat quod cataractarum Nili accolis, qui impetuoso illo ac rapido aquarum defluxu surdi euadunt. qui carceri assuevit ad libertatem haud magnopere aspirat. qui apud Cimmerios perpetua nocte ac caligine vrgentur, diem non requirunt. qui in editissimo alpium vertice degunt, densissimarum niuium, tonitruorum, ac tempestatum vim non experiuntur. Exempti interim minimè sunt, cum non rarò ipsorum diademati fulmen flosculum adimat, sceptrumque ipsis è manibus excutiat, cum magno discrimine niuium tempestatu implicentur, cum tristitiæ ac mæroris ne-



bula mentem ipsorum obfuscet, animum
 que insigni quadam cæcitate feriat. Coro-
 nati sunt, sed è spinis plexa contextaq; co-
 rona; sceptrū in manibus gestant, at arun-
 dineum, quòd præ reliquis rebus caducis,
 ventorum cedit paretque turbinibus, tan-
 tumq; abest, vt ista mentis ipsorum hemi-
 craniam corona tollat, aut sceptrū ipsum
 abigat fugetq; illas quæ homines circum-
 uolitant curas ac sollicitudines, vt illa ipsa
 etiam corona & sceptrum vbiq; in eos im-
 petum faciat eosq; miserè concutiat. Ex-
 rat hinc Persici monarchæ adeò celebra-
 tum apophthegma. Non fore quenquam
 qui casu inuentum humi iacens diadema
 sustollere dignaretur, si quo pondere ge-
 stantem premat, intelligeret. Ac iste qui-
 dem princeps, tametsi fortunam mundo
 impertiri videretur, suoq; mortalibus ar-
 bitratu ac nutu secunda atque aduersa dis-
 tribuere, cum etiam penes hunc solum
 esse iudicarent, altissima omnes tranquil-
 litate donare, liberè tamen atq; ingenuè
 fatetur, in toto isto terrarum orbe, cuius
 ipse imperium tenet, nihil præter ærum-
 nas esse atq; infortunia. Quid cæteros di-
 cturos autumas, si ex animi sententia que-
 renti

renti respondere volent ? istos prætereo
qui infami aliquo mortis genere vitam fi-
nierunt , qui regnis suis quorum interi-
tum fuisset oculis videre, diu cum animi
mœrore superstites fuere, quiq; post regi-
um luxum ac splendidam vitam in squa-
lore atq; miserijs diu superuixerunt. Dio-
nysius Siciliae tyrannus, multò tum tran-
quilliori vitæ conditione fruebatur, cum
virgarum fasce ludimoderator, iuuentuti
Corinthiacæ imperaret , quàm cum sce-
ptrum, quo vniuersam Siciliam afflixerat,
gereret. Quid Syllam commemorem? qui
tametsi rempubl. Romanam (quæ vni-
uersum terrarum orbem antea expilârat)
latrocinijs defœdasset, nunquam tamen
paciori animo fuit, quàm cum se lubens
volensq; omni potestate, auctoritate, di-
gnitateq; cum magna suæ existimationis
ac potentiae alicia abdicaret. At Salomonis
regis inquiramus iudicium, qui præter-
quam quod singularibus quibusdam præ-
rogatiuis, ac maximis opibus à Deo dota-
tus, & insularum reconditos thesauros, or-
bisque abditas diuitias perscrutatus esset,
nos suo Ecclesiaste satis superque instruit,
post longam huius mundi beatitatis an-

quisitionem, cunctaq; felicitatis, quæ cumulatè Deus in eum effuderat, genera, nihil se demum præter vanitatem, laborem ac Spiritus afflictionem inuenisse. Augustum Cæsarem, orbis terrarum pacati ac compositi dominū, percōtemur, & hunc grauiſſimarū præteritæ vitæ molestiarum tædebit, quare vel infimi hominis tranquillam securamq; sortem, suæ, voto præferet, beatamque illam horam iudicabit, quæ, trabea ac diademate positis, ipsum ab immenso grauiq; dignitatis onere, expediat, faciatq; cum infimæ conditionis hominibus tranquillè viuere. Successorem eius in imperio, Tiberium quæramus, fatebitur ille se imperium ceu lupum auribus tenere, cuius fascibus non grauatè renuntiaturus sit, si id sine periculo ac morſu facere possit. Fortunam accusabit, quæ quidem in locum ita editum eum euexit, at euecto quò minus rursus descendere possit, scalam subtraxit. Diocletianum, in quo principe virtus ac sapientia præclara sibi edidere specimina, hîc spontaneum ac vltroneū Salonense suum exilium totius imperij Romani maiestati longè anteferet. Ipsum deniq; Carolum. V. quem
nostra

nostra ætas felicissimum omnium qui multis retrò seculis vixere, iudicauit, hic diris suas deuouebit victorias, imperij propagationes, triumphos, trophea, neque ipsum fateri pudebit, plus se commodi comperisse in vnius diei monastica solitudine, quàm vniuersis splendidae vitæ triumphis. Hosce nos in imaginario illo illustris vitæ splendore felices iudicabimus, qui se ipsos infelices autumant? qui vnicam suam felicitatem in dignitatis imminutione, humilioriq; vitæ gradu constitutam esse existimant? qui in vniuersa hac terræ mole, vixdum tantillum spatij inueniunt, vbi se vasta illa splendoris sarcina exonerare, nullum ita commodum lectum, in quo se ad quietem componere possint.

Is felix duntaxat est, qui sua viuit sorte *F* contentus, mortaliū verò infelicissimus, cuius cupiditatem nihil eorū, quæ hominibus optata contingere queunt, comperere animoq; tranquillitatem conciliare potest. Miser itaq; Pyrrhus Epirotarum rex, qui vt pacatā nanciscatur vitam, vniuersi mundi ambit imperium, adeoque è longinquo ea requirit, quæ penes ipsum.

sunt. Hoc multò infelicior Alexander, cui tametsi maximi ac splendidissimi imperij regniq; hæreditas obtigisset, & tantis totius propemodum orbis victorijs clarus existeret, alios nihilominus mundos, vt vesanae suæ ambitioni satisfaceret, inquit, cuius non multò post ardorē ac cupiditatem exigua scrobs & sex pedum tellus restinxit. Breuiter, si in altissimis Alpium iugis editi sint, cælum affectant, quæruntque qua ratione eò cōscendere queant, si quibus forsā omnes terræ reges subiugare cōcessum fuerit, cum Deo de limitibus contendunt, neq; finem, neq; modum sui furoris prius figunt, quàm Deus ipse risa ipsorum vanitate, cū in se iam in supremo gradu collocatos arbitrantur, fulmine p̄sumptuosum factum dissipet, sceptrum in manibus confringat, ac proprio ipsos diademate opprimat. Atq; vt vno verbo expediam, omnis in ambitione felicitas huiusmodi est, vt mali sibi consciscēdi gratia, plurimū mali ambitiosi sufferant. Est qui altius scandendo futurum speret, vt sese è malis hoc pacto expediat, neque videt illum ipsum cumulum, ad quem tanto conamine eluctatur, malorum omnium esse aceruum. Istorum

rum

rum prætereo infortunatā sortem, qui toto vitæ decursu pileum suū fortunæ aulicæ, beneficæ ac liberalis eius manus experiundæ causa, nequicquam tetenderunt, cū ne hilum quidem ad extremum profecerint, ac magno quidem videant animi sui mœrore sponte huic omnia affluere, qui ne minimum quidem cumulandarum opum nomine sumpserit oneris, eorumq; pecunias (qui magno licet nisu seipsum ingesserint, lucri tamen loco iacturam non minimam fecere) tertio alicui cōferri, qui ne pedem quidē loco mouit, cū alij interim non pauci, dum easdem summo studio possiderent atq; asseruarent, nulla tam exquisita diligentia satis cauere potuerint, quin sibi eas è manibus eripi viderent. Sed istiusmodi quidem omnium infelicissimi aestimantur ac reuera sunt, hoc ipso, quòd suam calamitatē intelligunt, quòd suo iudicio calamitosi sunt. Istud demum sufficiat, omnes istas diuitias, quas tartareus dæmon, veluti per quādam fenestram nobis confert atq; adijcit, nihil præter escam, qua nos in casses suos illiciat, esse, præsentia hæc ac momentanea miras esse insidias, quibus ille vanos nostros labores ac cona-

tus, quos t̄ato sudore diuitiarum nomine exantlamus, miserè deludit; esse t̄adem infortunatissimum illū mortalium, cui fortuna in earum acquisitione fauet.

At dicat quispiam, fateri se quidē, avarum in tanta opum affluentia nullis bonis frui, & quod dici solet, eidem tam deesse quod habet, quàm quod non habet. Ambitiosum etiam cū optatissimè atque ex animi sententia se viuere putat, tunc maximè incommodè viuere. Vtrunque sibi in hoc mundo tartareas pœnas cōciliare. Querere se tamen, num in illorum numero qui iuri dicūdo ac iustitiæ administrandæ vacant, aut principis assiduè latus stipāt, reperire liceat, qui cum voluptate suis facultatibus fruuntur; qui nullis animi ac cupiditatum perturbationibus obsecundent, qui dignitates aliquas cum mentis tranquillitate consequantur. Licuit id quidem fortassis priscis illis seculis ac maiorū nostrorum ætate, cū adhuc cādoris quædam scintilla apud mortales locum obtineret. Hoc præsentium rerum tam deplorato statu, non video equidem quonam pacto istud fieri possit, si te publicis negotijs nostro æuo immiscueris, aut rectè aut malè fece-

feceris. Quod si à recto aberraueris, diuini numinis iram in te concitabis, ac cōscientiam tibi carnificem constitues, quæ suis tædis mētem tuam continuè exagitet. Sin rectè, hominum tibi odia ac inimicitias, neque vulgarium, sed primæ etiam notæ, conflabis, quorum tibi inuidia ac maleuolentia infidiabitur, quorum tyrānis ac crudelitas perpetuas minas intētabunt. Si popularem auram consecutus fueris, furiosæ bestię placeas, tibi verò ipsi displiceas necesse est. Si philautos fueris ac pprio amore tui ipsius deperieris, Deo displicebis. Quod si ad diuinum nutum tua cōposueris, mūdi mille pericula incurres, innumeris te ipsum incommodis afficies. Quo fit, vt si maximæ bonorum virorum partis, & qui mediocriter sua sorte cōtenti sunt, sermones excutias, optare alios (siue serio, siue veritate adacti id dicant q̄ res est) inuenias, vt cum villico suo vestē permutarint, alios bellè illos ac commodè viuere iudicare qui nihil possideāt, alium quempiam de aulæ strepitu ac tumultu, mirum in modum cōqueri, seseq; in eo totum esse, quo pacto se inde prima quaque occasione expedire possit. Breuiter vix vllum inuenias,

quem suæ non pœniteat sortis, qui alienæ
nō inuideat, suam cum alterius facile per-
mutaturus, si paratum qui eā acceptaret, a-
lium inueniret: nemo vsquam est, quē non
istorum studiorum tēdeat, quibus suam æ-
tatem consecrauit, & qui non suæ cupiat
eximi, vt cōmodiorem viuendi rationem
nanciscatur, quanquā senectutis, quacun-
que potest ratione, quærat inducias. Quid
igitur in tanta animorum, ingeniorumq;
diuersitate atque pugna faciemus? An ho-
minum consortia, vt genuinam humani-
tatem inueniamus, vitabimus? nunquid
nos in sylvas ac nemora inter feras abde-
mus? vt illas animi perturbationes euitare
possimus, aut demum à grege istorum ani-
mantium quæ rationalia appellantur, nos
separabimus? vt miseram denique huius
mundi sortem effugiamus, ipsūne mun-
dum relinquemus? Consequamur vel hac
ratione pacatam quā maximè vitam cupi-
mus, num istud tanti momenti esse videbi-
tur? At istud ferè cōtingit, vt ne hi quidem
qui maximè cupiunt, ita suas rationes cō-
ponant, vt eam vitæ degendæ viā cum vo-
luerint ingrediātur, qui autem eam omni-
no ineunt, minimè omne istud quod quæ-
rebant

rebant in ea otium inueniunt. Sunt qui quadantenus eò animum appellant, sed cum suburbanus quidã eos terreat pudor, & mundanæ obex verecundiæ, in medio subsistunt tramite, neq; progrediuntur ulterius. Extremè dementes qui istius causa verecundantur, quem suo iudicio dãnant, maiori verò vesaniæ simile ab eo capere consilium, quem capitalis inimici loco habere conueniebat. Sunt qui specioso hoc prætextu ad obeunda munera inuitentur, quòd Reipub. seruiẽdum esse intelligant, neque animaduertunt qui sibi hoc persuaderi patiuntur, ipsos persuasores sibi, non alijs, seruire, multoq;ue maximam eorum partem nunquam Reipub. administrandę curam suscepturos, nisi publicæ rei occasione, priuatam se suam rem augere posse confiderent. Alij ista ratione inducuntur, quòd credant, se vitæ rectæ institutę exemplo ac incorruptis morib. plurimos ad frugem perducturos. Neque satis perpendũt, multo procliuius esse, cõtum homines ac medicos etiam ipsos in vrbe peste infecta, contagione morbi interire, quã vel vnum aliquem è tanta lue incolumitati restitui, scilicet hoc propriè tentare Deum est, aëri

D

se ita contaminato committere, cum nulum praesentius huic malo alexiterium inueniri queat, quam si quis se inde quam longissimè subducat, vbi hæc lues sæuit. Istud demum quam exploratissimum est, haud minus difficile esse, vnum aut duos Lothi similes vnicam Sodomæ aulam à praua viuendi consuetudine ad meliorē traducere, quam dulcibus est aquæ torrentibus, qui sese in mare exonerāt, suum illis amarorem ac falsedinem adimere. Ad eos verò quod attinet qui cæteris sapientiæ opinione præstant, quibus animæ iuxta ac corporis salus curæ est, qui purum sibi atque à contagio alienum aërem longeque ab improborum moribus dissitum deligunt, qui duce Dei angelo ad tempus Lothi exēplo in Segor secedentis, in oppidulum quoddam ab aula secedunt, vbi à mundi flagitiosa viuendi consuetudine longè absint, in agrum aliquē à pestiferis remotum vrbibus, quo commodiùs maioriq̄e cum otio alicui se scientiæ ac seriæ contemplationi dedant, hosce quidem ego periculo esse minus reliquis expositos concessero, communi verò calamitati prorsus exemptos negaui, vel hoc ipso quòd secum
eò pe-

cò periculum transferant. Aulam quidem illi fugiunt quos aula insequitur, omnem mouent lapidem vti se mundo subtrahāt, cum mundus vsque ad necem fugientibus instet. Ac vixdum in immēsa vastaq; mundi huius orbita vel tantillū loci inueniant, quò se abdere, ne à mundo inueniantur, possint, vsqueadeò eos neci cupit dedere mundus. Quod si singulari quodā Dei beneficio ex hisce periculis caput exerant, vel premuntur inopia, vel dissensione domestica, aut à familiari aliquo exagitantur spiritu. ita fit, vt mundū deniq; ipsum aliqua in seipsis ratione experiantur.

Cæterum quod deploratissimum est omnium externis hisce liberati bellis & molestijs, ciuile nobiscum ac intestinum gerimus, reluctatur caro spiritui, rationi perturbationes animi atque affectus, cælo terra, ac mundus in nobis ipsis pro mūdo etiam digladiatur, qui quamuis à nobis maximè fugiatur, in imo nihilominus pectoris ac cordis nostri perpetuò sedē suam figit, sed quid dico? cū illi ipsi sepenuerò, qui tragicis ac speciosis verbis se mundum defugere profitentur, mundi laudum ac vana quadam ambitionis spe permulceantur,

mundum se fugere simulant, qui ei in amplexu ruunt, diffugit honores quispiã, qui ea fuga sibi viam ad dignitates sternit, inuitarique ad suscipiendos honores vult, se abdit alius vt tanto impensius inquiratur. Ita fit vt personatus mundus non rarò inter eos degat, qui mundam fugiunt. Fallimur: si plebem sequimur, in confertissima turba suam habet aulam. Solitudinem sequimur, habet ibi suas latebras, qui Christum ipsum in deserto tentauit. Nobiscum habitamus, neque ibi ipsum minus quàm vsquam alibi contaminatum reperimus: neq; aliter eum in nobis cõficimus, quàm si ipsi nos ei commoriamur. Versamur in mundo, ac mundus in nobis, quò fit vt si à mundo vindicare nos voluerimus, operæpretiũ sit vt à nobis ipsis abscedamus. Atq; hæc à nobis ipsis secessio, mors appellatur. E contagiosa vrbe egressi nobis videmur, neq; satis animaduertimus nos in prauam corporis nostri constitutionem aërem infectum admisisse, nec pestẽ minus quàm nos ipsos nobiscum circumferre, atque esse nos pestis non minimã partem, vsque ad cõ etiam vt per saxa confragosa, solitudines, montes, illa se indiuiduũ nobis comitem exhibi-

exhibitura sit. Dum aliorum cōtagionem effugim⁹, propria laboramus. Ab hominū nos quidem consortio subduximus, neq; tamen à nobis hominem abdicauimus. Procellosum hoc salū nos diuexabat, cor dolebamus, ventriculus vomitu nauſeabat, nauigium nauigio vt nauteam vitaremus, vt nos ab hac molestia liberaremus commutauimus, è firmo optimeq; compacto in fragile, è magno in pusillum trāsiuimus. Quietem nobis ac trāquillitatem nec quicquam pollicemur, nihil proficimus, ij sdē semper vndis impetimur, ijdem sunt fluctus qui in altū sustolluntur. Idem cūctis mortalibus portus est, nulla præter vnicam mortem tranquillitatis præstituta ratio. Vitæ siquidem in aliud atque aliud genus commutationes, non eximunt animo sollicitudinem & terrorem. Decubimus fors ægroti in aliquo cubili, plateæ foroq; imminenti, transferri nos inde ad quietius atq; à turbis semoti⁹ curauimus, neque iccirco tamen ob qualemcunque hanc tranquillitatē à febre liberamur, quæ sui ardoris nihil remittit. lectum, cubicula, domum, patriam, sæpenumerò permutamus, neq; ea propter minus turbarum in-

uenimus, in promptu causa est, quòd nos ipsos vbiq; locorum reperimus, quoniam non tam vitæ immutationem atq; inno-uationem quàm loci, haud alij esse, sed alibi, quærimus. Solitudinem perimus vt solitudines euitemus, vt otiosi curarū capistrum excutiamus. Semoti à vitiosorum commercio degere cupimus, cùm auariti-
am propriam, ambitionem, luxuriam atq; in vniuersum prauas animi nostri pas-siones eò nobiscum quo corpus transferamus, quæ mille interim nos modis erodunt, milliesque interdum alium ac capas Aegyptias in mentem reuocant. Hæ eodem nobiscum pontone semper trajciunt, quo fit, vt citra vltraque fluuium, sine vllis inducijs nobis confligendū sit. Quod si hunc vitiorum cōmeatum, qui animū nostrū exedit exautorare, valeremus, quietem ac tranquillitatē animi in nobis dubio procul, nō in solitudine duntaxat, verum etiā in conferta hominum multitudine reperturi essemus.

Vita vniuersa hominis in hoc ergastulo militia est continua. Ab externis securi insidijs, clandestinis consilijs ac fraudibus impetitur. Simulatque Græci obsidione soluta

soluta receptui canunt, dolis intra mœnia improbus omnia turbat Sinon, Græcisq; urbem prodere conatur. Vigilandum nobis atq; excubandum indefesso studio est, operæpretium armatas perpetuò habere manus, ni nostra velimus securitate ac confidentia vel singulis momentis in hostium potestatem deuenire. Ecqua verò ratione ex eorum demum manibus elabemur? Non sylvarum beneficio, non fluminum, non montium, ne tum quidem si torculari nos includamus, aut in cauerenam aliquam vel specum subterraneum abdamus. Præstat istud vnica mors, quæ mentis à corpore separatione, puræ ac mûndæ partis defæcatæque, animæ videlicet, ab immunda (quæ mundi gratia in nobis exiliū stabilit) hoc ipsum sedat, quòd coniunctum ac coagmentatum in vna persona, nunquam sine iurgio ac lite, nisi Spiritu planè subactò suffocatoq; subsistere poterat.

Nunc tametsi me non fugiat, illorum, qui se solitariae vitæ dedidere, exercitia, qualia sunt sacrarum profanarumque literarum, in vniuersum etiam omniū scientiarum ac disciplinarum assidua lectio,

D. iiii



Quæ scientiis aut artium potius cultoribus insint vanitates. Grammatica & Rhetorica. Logica.

Arithmet.

Geometr.

Musica.

longè se aliter habere, atq; infanas istas venatorum voluptates, quæ maximam hominum partem, quorū animos hic morbus corripuit, ferosq; atq; agrestes reddit, ij nihilominus sapientū sapientissimi Salomonis censuræ se subdant operæpretiū est, cum eoq; fateantur hæc omnia ad puri duntaxat hominis iudicium collata, vana prorsus esse, animoq; meras conciliare ærumnas. Discunt alij integro vitæ decursu rectè loqui, cum de vita rectè instituenda ne minimum quidem cogitent. Alij dum Logicæ sphingis ænigmata ac rationum omnium tricas expediunt, vt quid sit ratio inueniant, naturali non rarò rationis lumine ac iudicio destituuntur. Est qui in minutissimas fractiones quæque per Arithmeticen partiri discit, neque tantum proficit, vt obolum cum fratre exercere possit. Geometriæ beneficio agris multi constituunt limites, eosdemque à se inuicem dispescunt, vrbes ac regiones cōmetiuntur, neque hoc assequuntur vt norma quadam seipso metiantur. Musicus vocum concentus tonosq; in vnā harmoniam cogit, cū nihil ipse habeat in animo concinni, nihil harmonici, nihil quod non

nō ob animi perturbationes à modis musicis exorbitet. Astronomus dum fixis in cælum oculis syderum ac stellarum motus intentiùs contuetur, in proximam foveam labitur, futura præfagiens præsentia perdit, firmis cælum contuetur oculis, ast animum rebus caducis ac terrenis habet immersum. Philosophus de rerum natura accuratè differit, neque seipsum cognoscit. Medicus aliorum valetudini consulit, in proprijs animi morbis agnoscendis cæcutit, proprij pulsus alterationem persentiscit, neque tamē de ardenti animi febre (ad quam primò tamen omnes cogitationes conuertendæ erant) curanda sollicitus est. Historicus Thebana Troianaq; bella ad vnguem sciet recensere, ignarus eorum quæ penes se geruntur. Orbi vniuerso condit leges Iurisconsultus, sibi ipsi legem statuere nequit. Theologus demū de fide contentiosè acriterque disputans, nullam vnquam volet caritatis admittere mentionem. Loquitur de Deo, at hominibus ferre opem neglectui habebit. Scientiæ itaque atq; artes mentem quidem inexhausto labore fatigant, nullam tamen homini tranquillitatem cōciliant. Quan-

*Astronom.**Philosoph.**Medicina.**Historia.**Iurisprud.**Theolog.*

to maiori mens nostra cognitione foeta
plenaq; est, tantò vberiore nobis com-
parere studemus, neque vlla scientia illas
quæ animum nostrorum in diuersa rapi-
unt controuersias, tollit, aut summoet
miseros tumultus mentis (vt ait poëta) &
curas, laqueata circum tecta volantes.
Mentem quidem eruditione poliunt ar-
tes, vitijs ac morbo minimè liberant. Do-
ctrina excultum reddunt, bonum neuti-
quã, scientè, haud sapientem. Adde quod
quanto quisque vberiore nactus est co-
gnitionem, tantò se minus profecisse fe-
rè agnoscit, tantò mens disciplinis onu-
stior est, tanto se magis vacuum atque ina-
nem esse comperit, vsque adeò etiam, vt
quantacunq; homini in hoc mundo co-
gnitio obtingere potest, eorum sit quæ à
nobis ignoratur, vel minima portio, sum-
maque nostra sapientia in inscitæ atque
ignorantiæ propriæ, vniuersa demum ho-
minis perfectio in imperfectionis cog-
nitione consistit. quam quidem vt quisque
maximè consecutus est, ita & maiori cæ-
teris mortalibus sapientia præditus, facile-
que omnium perfectissimus. eò demum
cum Salomone progrediamur, vt initium
ac fi-

ac finem sapientiæ diuinum timorem statuamus, quæ quidem sapientia mundo mera est stultitia, capitalique semper odio ipsius sectatorib. digna visa. Quò fit, vt qua ratione ei qui diuini numinis timore fouetur, nihil mali formidandum sit, quòd cuncta eius infortunia prosperiori sorte commutata sint, eadem nil prorsus boni à mundo vnquam sperare debeat, cum perpetuæ sibi cum cacodæmone, qui mundi princeps nuncupatur, cõstent inimicitia.

Porro quocunque demum exercitij gerem tempus transigamus, parum id refert, instat senectus, illa tacitè nobisque incautis obrepit, illa nostræ imminet ceruici, illa quocunq; modo nos offenderit, siue in media turba ac densa hominũ corona versantes, siue à mortalium abditos cõsortio, adoritur. Pleriq; omnes ita suas incunt rationes, atq; ad id vnum omnes cogitationes intendunt, vt vnà cum prouecta ætate omnibus curis soluti, tranquillè viuant, sanitati corporis ac quieti indulgeant. at multo aliter vsu venit, cum in ipsa senectæ vix dum aliud quicquam, quàm omniũ antè actorũ colluuiem malorum persentiscamus, multoq; aptius quàm in reliqua æta-

*Senectus
est vitiorũ
omnium
ἀνακεφα-
λαίωσις.*

te tempus, iteratò suppullulantib. cunctis
vitijs, quibus vniuersa transacta vita asper-
sa fuit. Imbecillem ibi inutilemq; reperire
est infantiam, auctoritate quadam (quod
in primis dolèdum est) fultam. Effrenis ac
luxu perditæ iuuentæ poenas, per arthri-
tidem, paralyfin, calculum atq; id genus a-
lia morborum genera, quæ membratim
ingenti cum dolore hominem discerpūt,
tum luimus. Virilis ætatis vigiliæ, sollicitu-
dines, ac ardentes animi curæ, cæcitate ac
surditate, omnium deniq; sensuum pede-
tentim solo doloris sensu excepto, priua-
tione compensantur. Nullam nostri cor-
poris partem mors sibi non oppignorat, vt
certo totos sibi emancipet, neq; aliter quã
alieno ere obstrictis, qui cùm soluēdo non
sint, solutionis terminū perpetuò metuūt,
nobis vsu venire solet. Cumq; nil reliquū
nostri sit, quod mors ipsa sibi non vendi-
carit, vitia nihilominus ipsa in nobis ipsis
non viuunt modò, verùm etiam inuita ac
reluctante natura, magis magisque indies
adolefcūt. Auarus alterum in sepulchrum
ac terræ gremium, & quod dici solet, Cha-
rontis cymbam pedem intulit, neq; tamē
desinit humi argētum defodere, tanquam
è terræ

è terræ viscerib. quandoq; eruturus. Ambitiosus testamento sibi infanas ac sumptuosas funebres pompas adornat, ac vitijs post obitum monumenta ac trophæa ponit. Lasciuus cùm pedibus, corpore iam effœto, amplius nequeat, scapulis tripudiat, cuncta ipsùm deseruere vitia, nequit ipse tamē vitijs valedicere. Infans ad adolescentiam aspira uit, hic eam fastidit, adolescens se in spem futuræ ætatis erexit, hic præsens malum persentiscit, dolet lubricas ac fallaces transacti temporis voluptates, neq; videt quid sibi amplius in obrepente ætate magnopere optandum sit. Infante multò amentior, qui acti nec vnquã redituri temporis iacturam frustra dolet, atq; adeò præteritæ miseræ memoriam omnem deposuit, adolescente verò etiã infelicior, quòd cùm vitam ærumnosam mors etiam misera excipiat, desperãdi sibi solam superesse materiam videat. At ille, qui ab ipso iuuentutis flore legitimum contra carnem ac mundum duellũ & suscepit, & strenuè depugnauit, qui tantum molestiarum & vt mori disceret, & mūdum ante tempus relinqueret, sumpsit, præterq; hæc mala se à maximo atque deplorato senectutis mor-

bo premi videt, carnem etiam tot morbis ac malis emaciatam, sæpenumerò spiritu fortiorem perſentiscit. ille cedo, quid demum ex his omnibus commodis expectare aliud potest, quàm hoc vnicū & tantillū quidem, quòd se morti vicinum videt, quòd conflictuum finem adesse, quòd suam ex hoc carcere, in quo toto vitæ decursu miserè tortus fatigatusq; est, liberationem in propinquo atque inibi esse, animaduertit? Prætereo hoc loco infinita quæ hominem singulis ætatibus mala circumueniunt, atque affligunt, qualia sunt amicorum atq; affinium interitus, exilia, proſcriptiones, potentiorum indignationes, aliaque id genus mūdo familiaria: alius liberorum dolet obitum, alius è contra eorundem onera, ac sobolem numerosam, hic de coniugis morte, ille vita conqueritur. Est quem summo in aula esse loco malè habet, aliū si fors abiectiori sit, quàm cupiat. Tanto mundus malorum aceruo premitur, vt ad ea describenda mundo haud minori opus sit quàm ipse mundus est. Atque vt paucis expediam, felicissimus omnium mortalium suo erit iudicio infelix, si qua beatitate fruitur, eā suis ærumnis contulerit, ijdem-
que

que qui non rarò aliorum veluti splendidi-
 dam ac felicem sortem admirantur, si vel
 triduum ipsorum conditionē experiren-
 tur, primo etiam eam ambienti cessuri ef-
 sent. Ac si quis omnia incommoda, quę in
 voluptatum acquisitione perpeffus est, se-
 cum paulò accuratiùs consideret, quęque
 in iisdem custodiendis ac anxie retinendis
 (de ijs solùm quę alicuius momenti ac ef-
 fatu digna sunt, oblectamentis, nō de mo-
 mentaneis illis, & quę floris in morem flac-
 cescunt, nobis sermo est) tolerat, ipse suo-
 pte iudicio earundem custodiam plenam
 infelicitatis atque molestię esse conuince-
 tur. Ex quo ceu necessarium aliquod con-
 sequens concludimus, infantiam quidem
 stolidam quandam esse simplicitatem, iu-
 ventam porrò vanum ardorem, virilem
 autem ætatem molestam esse sollicitudi-
 nem, ac senectam deniq; ipsam importu-
 num morbum, nostros oculos nil aliud
 quàm lacrymas, voluptates animi febres,
 bona tormenta esse atq; animi carnifici-
 nam, honores onerosas vanitates, quietē
 meram inquietudinem, ex vna ætate in a-
 liam procedere, esse malum malo cōmu-
 tare, ac leuius quidem grauiore, fluctumq;

aliū ab alio tantisper impelli, dum ad portum mortis appellamus. Concludamus, inquam, vitam hanc esse desiderium futuri, dolorem præteriti, auersionem atque fastidium ei⁹ quod quis gustauerit, orexin illius cuius tibi gustus adhuc incognitus sit, vanam, qua quispiā defunctus est, conditionis memoriam, spem futuri status incertam, nihil esse ad extremum rati præter fati certitudinem, eiusdemque incertitudinem.

*Mortis cōsideratio
minimè
formidolosa.*

Ecce mortem ad nos accelerantem, vide eam appropinquantem, quam tantisper expauescimus. Consideremus nunc eam, talisne sit qualis vulgo creditur esse, sitne usque adeò fugienda, vti plerunque fit. Formidatium puerorum instar agimus, quos vel personatorum laruis, aut Hecatis imagine terreri cernimus, formidinis vna causa est, quòd non qualis sit eam animo concipimus, sed tristem, sentam, horridā, qualisque à pictoribus parietibus affingi illi inique consuevit. ea propter, inquā, eius fugimus aduentum. Nobis interim vanis huiusmodi occupatis cōceptionibus animi, menti que impressis imaginibus imponimus, neq; vllum eius cōtuendi locum relinqu-

linquimus; Consistamus, pedem figamus, utroque eam lumine penitiùs intueamur, aliam lōgè quàm nobis pingi assolet, multoq̄ue venustiori facie præditam, quā qua ærumnosa nostra vita imprudentib. blanditur, inuenerimus. Mors metā huius vitæ vsurę constituit. At cui vitę? illi scilicet quę mera est calamitas, perpetuaq̄; tempestas. Mors itaque miseræ nostræ ac doloris terminus est, & tranquilli portus, qui nos ab omni ventorum turbine excipiet ostium. Hancine igitur formidabimus? quę nos è calamitate exemptos in portū deducit? At morti, inquires, dolor inest: Id nemo inficiabitur. Idem in curatione vulnerū comperimus. Ita in rebus humanis comparatū est, ut malum sine malo curari nequeat, & malo, alterius mali adminiculo medeamur; Incisione sanè opus est ut cōtusam ac sugillatam corporis partem sanitati restituas.

Difficilem hunc esse per mortem ad vitam aīstransitum. Neque portum vsquam inuenias, cuius ingressus non sit angustus, cuius fauces cum difficultate nō superentur. Atque in hoc quidem mundo haud quicquā magni pretij, alio ære quàm ma-

*Cōfutatio
argumētū
à difficili.*

E

lo atq; laboribus cōparatur. Laboriosus vero ingressus, si nos ipsi eū laboriosum reddam⁹; si cū animi cruciatu eò appulerim⁹, si mēte turbata atq; inquieta; si cogitationibus fluctuantibus, si cōsilio minimè deliberato. At si mentem eò attulerimus pacatam ac trāquillam, animum constantiā obfirmatum, neque periculum, neq; molestiam in morte vllam persentiscemus. Quis obsecro dolor in morte inest? Num quid aliud potest, quàm sensum cruciatu afficere? Eam ipsam accusamus tanquam omnium malorū, quæ nos sub vitæ finem exagitant, scaturiginem, neque consideramus, quanto grauiora pertulerimus, quibus cruciatibus sæpenumerò confecti simus, quæ neutiquam tamen nobis mortē conscuere, è quibus prætereà doloribus eluctati simus, quorū nomine mortem ipsam vltro accersuimus. Morti malam habemus gratiam istorū scilicet, quos nobis vita sub finem creat dolorum causā, neq; perpendimus dum hoc vitæ filum ordimur, dum idem continuamus, doloribus nos vndiq; cingi, neque fieri posse, vt sine doloris sensu ea ipsa vita finiatur.

Non intelligimus, inquam, vitæ vltimū esse

esse quod nos affligit, nō mortem, terminum nostræ nauigationis qui nos dolore afficit, non portum ipsum quem ingredimur, qui nihil aliud est quàm tēpestatum quietissim⁹ secessus, ac vera beatæ vitæ alcynia. De morte conquerimur, quibus vita potiùs lacrymis prosequenda erat, haud aliter atque si quispiam ex diuturno morbo cōualescens sanitatem ipsam, non morbi residuum vltimorū dolorum causam statueret. Quid cedo est aliud mortuum esse quàm mundo non amplius esse superstitē? Nunquid doloris sensum cum nondum in mundo essemus, percepimus? An istud non esse in mundo per se calamitosum est? Morti verò vtrum vnquam similiore sumus, quàm somno sopiti? at nunquam maiori quiete fruimur, quàm dum somnum capimus. Itaque si somno nullus dolor inest, quid mortem dolorum nomine, qui vitæ potius à qua proficiscuntur, dum è corpore migrat anima, imputandi erant, arcessimus? nisi eadem ratione stolidè illud ipsum etiam tempus, quo nondum existimus, propter dolores quos in vitæ nostræ exordio percepimus accusare velimus? Quod si hanc absque lacry-

*Vitam esse
que nos affligit.*



mis subit nemo, ecquid mirum videri debet, si ingressui respondeat exitus? si à generationis nostræ exordio cruciatuum telam ordimur, cur à ratione alienum videbitur, si eodem pacto eam absoluaamus? Si quo tempore necdum existeremus, dolore vacauimus, nunc autem quo hanc lucem intuemur, doloribus plenam vitam traducimus, vtrum iure istorum dolorum accusabimus, an tempus quo non existemus, an reliquum istud quo in rerum natura erimus? Ita comparatum est, vt tum primum nos mori arbitremur, cum extremum ducimus Spiritum, qui si animum aduertam⁹, nos singulis & diebus, & horis ac momentis mori comperiemus. Mortem seu inusitatum quid animo concipimus, cum nihil æquè familiare nobis circumferamus. Haud aliud est vita nostra quàm mors continua. Tantundem vitæ decedit, quantum accedit. Quantum incrementi sumimus, tantundem viuendo amittimus. Ne ad passus quidem vnus spatium vitam ingredimur, quin tantillo spatio morti appropinquemus. Qui tridentem ætatis suæ transegit, tanta sui parte mortuus est. Qui semissem, semimortuus.

prate-

præteriti nostri temporis portio mortua
 est, præsens viuit simulq; moritur, futura
 similiter morti mancipabitur. Quicquid
 effluxit, non existit in rerum natura, futu-
 rum necdum est, præsens & est, & non est
 amplius. Omnis in vniuersum vita nil a-
 liud quàm mors quædam est. Candelæ in
 nostro corpore accensæ instar est, quam in
 plerisq; ventus liquefacit, in nonnullis ita
 agit, vt semiaccēsa videatur. sunt in qui-
 bus eam ad extremum vsque conseruet &
 foueat. Vt vt sit, quacunq; demum luceat
 quantitate, eadem seipsam ardendo absu-
 mit. fulgor ipsius est deflagratio, lumen fu-
 mus citò euanesces, extremus ipsius ignis
 extremum est elichnium, atq; vltima hu-
 moris gutta. Eadem est prorsus vitæ hu-
 manæ ratio, viuere & mori vnum idemq;
 homini. Quod si extremū spiritum mor-
 tem appellamus, reliquos eodem nomine
 dignemur necesse est, quippe qui ex eodē
 fonte omnes manent, eademque ratione.
 Vnum duntaxat quid inter hanc vitam,
 illudq; quod mortis nomine insignimus,
 interest. Quod quandiu illa durauerit,
 moriendi nobis indies satis superq; suppe-
 rat materiæ, post hanc autem quo viua-



mus nobis nihil superfit. Id demū in confesso est, illos ipsos etiam qui mortem hominis credunt esse terminum, metuendi nullam ansam habere, quotus enim quisque longioris vitæ desiderio tenetur, idem & mortis diuturnioris, & qui istud metuit, ne mors illi subito nimis ingruat, hoc metuit, vt propriè loquamur, ne moriendi materia destituatur. Nobis autem qui sanctioribus præceptis imbuti sumus longè quid aliud mors est. Non enim Ethnicorum more consolationes contra eam consuemus, sed seruiet nobis aduersus omne afflictionum genus. Neq; id magno opere studebimus, quoniam pacto eam aut contemere, aut certè non metuere istorum more discamus, verū id potius qua ratione sperare eam ac desiderio quodam amplecti discamus. Quoniam non tam mortem dolorum malorumque metam statuimus, quàm aceruū atq; cumulatam omnium bonorū accessum. Non vitæ terminum sed mortis, vitæ autē immortalis initium. Vnde rectissimè inquit Salomon, Meliorē longè esse diē mortis quàm natiuitatis. Quid ita? quoniam hæc nobis nō vltima dies illucescit, sed ortus est perennis

*Cælestis
vitæ bo-
na.*

ennis lucis æuiq; beatissimi, in hoc fulgore nec præteritorum fastidimus molestiam, neq; futura ibi anxie desiderabimus, vbi cuncta erunt præsentia, quòd præsens nunquam expirabit. Nemo quisquam se amplius vanis istis ac ærumnosis illecebris mancipabit, at veris ac solidis animus perfructur oblectamentis. Neque operæpretium habebimus laboriosam terrenarum exhalationum congestionem, qui æternas beatorum sedes occupabimus, deposita hinc ac relicta terrena ista massa, quæ suo nos pondere depressos, terræ defigebat. Non vret mentem cæca ambitio, neq; ad altiora cupiemus contendere, aut per honorum ac dignitatum gradus sublimia petessere, quando supra summa mundi fastigia sublatis è sublimi omnium istorum dementiam, quos nunc suspicimus atque admiramur, ridebimus, qui vel ob hilum prælia miscunt, qui puerorum more ob res leuiculas ac malo etiam viliores contendunt. Nullum deniq; intestinum in nobis ipsis bellum experiemur, quorum carne prorsus enecata, spiritu autem libera plenaq; vita fruente; animi perturbationibus terra obrutis, ratio in libertatem asserta domi-

nabitur. Anima ex squalido hoc impuro-
que carcere liberata, in quo longo hoc tē-
poris spatio ^{ēxi}, vt ita dicam, propemo-
dum contraxerat, suaq; mole laborans, de-
federat, denuò respirabit, atq; in purissimo
versabitur aëre, pristinum suum domici-
lium agnoscet, veteris splendoris dignita-
tisq; recordabitur. Non ista est, ô amice,
quam tu sentis caro, neque istud quod tu
tangis, corpus, homo est. Homo cæli est
indigena indeq; trahit originem, hæc ipsi
est patria, ille qui eum fouet aër. Si corpus
spectes exilij ac relegationis locum intue-
ris; Homo propriè anima constat & spi-
ritu. Homo cælestis ac diuinæ naturæ est,
quæ nullam rudis materiæ particulā pos-
sidet, at corpus corticis ac testæ instar, in
quâ inclusus delitescit spiritus, hanc rum-
pi operæ pretium est, si excludi, si verè
velimus viuere, si lucem intueri. Quadan-
tenus nos viuere ac sentire nobis in ani-
mum inducimus, cùm interim longa de-
sidiâ prorsus enervati, alas extendere ægrè
queamus, tantùm abest, vt quandiu terre-
na illa massa onusti fuerimus, versus cæ-
lum euolare possimus. Cernimus quidē,
at per conspicienda, quæ visum fallunt, ocu-
los

los quidem habemus, sed albugine obdu-
ctos. Videre nos arbitramur, at per som-
nium mendaci visu atq; phantasmate de-
cipimur. Quidquid aut possidemus aut
nouimus, mera est id ipsum vanitas, mera
impostura. Sola mors & vitam & videndi
nobis sensum reddere potest. Cùm nos ita
interim in bruta degeneremus, vt hanc
ipsam & vitam & visu nos spoliaturam suspi-
cemur. Christianos nos appellamus. Bea-
tam ac immortalem vitam, exacta hac
mortali credimus, neque mortem aliud
quàm separationem corporis esse ab ani-
ma autumamus, eamq; ad beatam redire
quietem, vt perpetuis cum Deo, in quo v-
nico vniuersa bona, omnesq; felicitatis
thesauri reconditi sunt, gaudijs perfruatur,
fore etiã vt post seculi huius consumma-
tionem corpori suo, nulli imposterũ cor-
ruptioni obnoxio, animus iungatur. istius
modi quidem heroicis nobilissimisq; sen-
tentijs ingentes referimus codices, cùm
interim vbi ad metam deuentum est, ad
solam mortis vocem, tanquam omnium
rerum horribilissimum, metu exanimati
ex pauescamus, atque trepidemus. Quor-
sum istud cedo si haectenus à me cõmemo-

ratis fidem damus? an à felicitate abhorremus? num à veris voluptatibus. Quod si ne hoc quidem, istud sanè fateamur necesse est, ne utiquam nos verè, sed ex parte credere, importunā esse quam fundimus loquacitatem, nostrosq; hosce sermones, strenuorum conuiuatorū meram iactantiam ac orationis vanitatem. Sunt qui sibi certo quidē constare asserant, se post hanc vitam ad aliam longè ista præstantiorem transituros, neq; ea dere quicquam ambigere, at viam se quæ istam à præsentī dispescit, nobisq; conficienda sit, formidare. Verè fracti ac consternati animi homines, qui cūm se morti sæpenuerò solius vitæ sustentandæ causâ exposuerint, mille dolores pertulerint, mille ad nutum atq; arbitrium alterius vulnera ipsam milies mortē subierint, neq; ad metam peruenierint, vilissimarum etiam rerum causâ, rerum inquam caducarū ac interitui obnoxiarū, ac eiusmodi sæpenuerò quæ cum suo interitu trahant vnà in exitium dominos, nunc ad vnus passus, ac exigui itineris confectiōem, qua sibi ratam ac certam tranquillitatem comparare possunt, non vnici diei, sed perpetuam; non vulgarem
aut

aut qualemqualē, sed quam mens humana comprehendere nequit, tremunt, deficient animo, metu percelluntur, neq; animaduertunt solam esse formidinē, à qua se vinci patiuntur. Frustra dolorem causantur, quem se perferentiscere asserunt. Fiuolum hoc est, id potiùs agunt, vt modum inueniant, quo exiguam istam fiduciā ac incredulitatem qua laborant, cautè occulere possint. Nam quo pacto id cuiquam persuasuri sint nō video, cum malint perpetuis arthritidis aut ischiadis vel calculi confici doloribus, quā mitiori aliquo lethi genere præsentis vitæ vsuram sine dolore, cum feliciori permutare. Membra- tim malunt discerpi, ac summa morbi vi pedetentim contabescere, suisq; , vt ita dicam, sensibus, motibus ac actionib. miserè superstites viuere, quā cita aliqua morte, tantis malis expediri, vt uiuant perpetuò. Facetè & hanc excusationis ansam prætexunt, vt discant viuere sese longiorē vitam expetere. Nemo est qui istud non norit, hanc artem omnes callent, moriendi potiùs ars addiscenda est, quod vt feliciter quandoq; facias, tibi ipsi in singulos dies moriendum est, itaq; haud secus muni-

endi in omnem occasionem nostri sunt animi, atque si quilibet dies, vltimus vitæ nostræ præstitutus esset terminus. At multò aliter, prò dolor euenit, neq; vlla est vox quæ grauius illorum aures feriat, quàm si quis mortis mentionem ingerat. Vecordes & obtusi animi homines ob vile lucellum septem florenorū Turonicorum meremur, vitamq; bellicę fortunæ ac aleę committimus, Primi spe prædæ muros scandimus, ea loca petimus, vnde redeundi nulla spes reliqua est, p̄digè scilicet corpore & animo periclitamur. Verùm vt nos tandem fortunæ iniuriæ ac ludibrio eximamus, vt res incōparabiles nobis acquiramus, vt ad immortalem vitam penetremus, hīc inquam nobis transitum imaginamur, qui aliā nullā constat molestiā quàm vticum nosse discamus, scilicet eiusmodi huiusce transitus imaginē animo impressimus, vt nisi constaret, vel maximè tergiuersantibus nobis, volentibus, etiā nolentibusq; istud omninò iter conficiundum esse, Deumq; ipsum nobis vel inuitis rectè consulere, vsque adeò tamen ad propria mala occalluerimus, vt propè nemo quispiā futurus sit, qui iter hoc, vel
maxi-

maximis etiam miseris attritus, conficere velit.

Causatur ætatē alius, multoq; se promptius fatales subiturū leges asserit, si quinquagesimum aut sexagesimum ætatis annum attigisset, at florenti iuuenta, in ipso adolescentiæ limine grauè esse mundum deserere, difficile mori. Mundū prius, quā à nobis deseratur, cognoscendum esse. At iste quā sit omniū rerum ignarus haud animaduertit, non considerat in mundo neq; iuuentam, nec seniū esse, summamq; ætatem, vel transacto tempore collatam, aut instāti vel futuro, ad instar puncti esse. Vidēsne vbi eo ætatis quò aspirabas peruenis, nihili esse tempus præteritū, maiori te adhuc desiderio futuri æstuatorum. Molestia præteriti temporis tibi erit recordatio, futuri tædiofa mora atque expectatio, præsentis nullum solatiū, nulla voluptas. Aequè impensè atq; antea à morte inducias postulabis. Ex creditoris te cōspectu de mense in mensem subducis, ac solutionis semper terminum prorogas, æquè ad debiti solutionem postremo etiam die atq; primo imparatus. Neq; vides cū omnino soluendum sit, pulcherrimum esse se

quàm citissimè liberare debito. Vniuersas
tibi mundi voluptates experto nulla noua
est. Haud vnquam sitim explebis, tametsi
vel sepius bibas. Danaidum enim inex-
plebili pertuso dolio, quod circumfers cor-
pus, simile est, vsu id potiùs atteretur, quàm
tu illius vsu vel veriùs abusu defatigeris.
Non video equidem quorsum tam auidè
diuturnam vitam desideres, nisi vt in vilif-
simas eam voluptates infumas, vt vanissi-
mis rebus impendas. Hanc optas auarè vt
prodigè conficias, frustra aulicam vitam
incusas, incassum superbos regiæ mores,
neq; te satis splendidus iste prætextus cul-
pa liberat, quo te malle Reipub. seruire, pa-
trię operam nauare, totum etiam teipsum
cultui diuino deuouere asseris. Nouit abs-
que omni controuersia, qui has tibi ope-
ras iniunxit, ipse diem & horam præfiniti
laboris, nouit quādo tibi respirandum sit,
ipseq; suum opus diriget. Quod si te is diu-
tius in istiusmodi agere ærumnis sineret,
fors laboribus succumberes. Nunc si libe-
raliter laborum soluere mercedem volue-
rit, si te ex carceribus & palæstra reuocare,
ac tantundē pro dimidij dici penso, quan-
tum pro integri, tantundem pro labore ad-
meri-

meridiem vsque exhausto, quantū pro totius diei tolerato æstu, tantōne cum maioribus prosequi laudibus, tantōne maiores agere gratias teneris? Verūm enimverò si animi tui penetralia ingrediaris, si conscientię scrinia excutias, fatearis necesse est, te non viduæ causam deplorare, non istud dolere quod necdum orphano ius dixeris, non officium filio, parenti aut amico præstandum, non reipub. legationem, quæ tibi demandata erat, non debitum Deo cultum, cuius mirum in modū amore æstuarere videbaris, qui tua nouit commodiūs vti opera, quàm tu ipse, longè aliud queritaris. sunt domus ac horti qui animum sollicitant, sunt imperfectæ ædificiorum ac straturarum ichnographiæ, imperfecta tua ac inchoata vita te altius euolare non finit, quam vllō aut annorum aut seculorū decursu te perfectarum desperas, cui tamen, si rem accuratiūs perpendas, perficiendæ vel vnicum momentum sufficiat, si seriò videlicet tecum consideres, referre omnino nihil quando ad metam hæc vita properet, modò id studeas vt benè ac feliciter eam finias. Bene autē hunc cursum conficere, haud aliud quicquam est, quàm non

grauatè ad metam accelerare, ac promptè summi parere voluntati numinis, hūc sequi ducem alacri animo neq; committere, vt inuiti à fatis eò pertrahamur. Libenter autem ad vitę huius terminum properabimus, si spe potius quā formidine mortem appetierimus. Quod hac profecto via commodissimè consequemur, si certa fiducia meliorem longè hac præsentī, nos vitam manere, nobis in animum induxerimus, at istam præstantioris vitæ expectationem ac confirmatam fiduciam Dei timor in nostris accendit animis, quem qui legitimo timore veneratur, nihil quicquā in hoc mundo formidat, cunctaque in futuro seculo sperat. Cuiuscunq; hæc animo firmiter inhæserint, ei mors ipsa nō potest nō esse tum iucunda tum grata, cū istud certò certius cognoscat, hac animi à corpore separatione vera se alcyonia ac locū tranquilli secessus omnisq; felicitatis consecuturum. Quod si quis morti fors dolor inesse potest, dulcedine is temperabitur. Mixtum spei tolerantiaꝝ poculum ebibetur, mortis aculeus suis destituetur viribꝰ, qui nobis solo formidinis spiculo infestus est, soloque metu pungit. Addam & istud
eum-

eum ipsum, qui animum ita obfirmavit, non modò quacunq; mali imagine, quam cogitationi mors offert, non perculsum iri, verum vniuersa etiam huius vitæ infortunia, quæ hominum animos eneruare solent, omnemq; ærumnarum formidinem despectui habiturum. Ecquid enim metueri ille potest, qui se moriturum sperat? an ne extorris & exul à patria fiat? at nouit alibi sibi esse veram patriam, à qua nemo ipsum relegare poterit, hos terre tractus esse duntaxat diuersoria, è quibus iubente hospite emigrandum sit. An carcerem formidabit? cui grauior arctiorq; proprio corpore carcer adornari nequit, eo nullus squalidior, nullus densiori caligini obnoxius, nullibi maiores cruciatus aut tormenta. An istud demum ne quis cum neci dedat, id ipsum est quod sperat, quod impensè cupit? Quod siue igne, seu gladio, seu fame, aduersaue valetudine, siue triennio, siue trium dierum, triumve horarum spatio cõtingat, nil pensi habet, qua porta ex ærumnosa ista emigret vita, aut quando nil moratur, paratus enim suisq; expeditus negotijs, eodem quo egreditur ostio ad felicem ac immortalem vitam rursus ingreditur. Solius mor-

tis ei minæ intentari possunt, atq; hæc ipsa est, quam sibi promittit. Mors omnium quibus affligi potest poenarum grauissima est, at ille hanc omnium rerum sperandarum optimam esse ducit. Tyrannorum minas promissionum habet loco, infensissimorum hostium enses haud contra ipsum, sed pro ipso distringuntur, dum mortis minas, vitæ esse comminationem secum reputat, seseque vel maximè lethalibus vulneribus non posse nisi immortalem euadere. Quisquis diuinum reueretur numen, mortem non formidat, quo quis solutus est metu, nullum vel grauissimum præsentis vitæ malum pertimescit. Mors itaq; dicat quispiam, ex eorum genere est, quæ expetenda sunt, ex quo consequitur vitam, vt ex hac malorum Iliade eripiamur, tantumque bonorum cumulum assequamur, præcipitandam esse. Metametsi minimè gentium ista cura sollicitet, fore quenquam, qui tanta bonorum quæ nos manet certa promissione incitatus ad mortem vel vnicum etiam passum progressurus sit; qui quamquam istius vitæ desiderio spiritum nostrum perpetuò estuare non ignorem, obstare tamen corporis sarcinam, quæ suo pondere ani-

animum ad terrā deprimat, certò sciam, istud tamen, quod isti fors obijciēt, nequaquam ex præcedentibus conficere ac concludere conabor. Carnem à nobis domādam ac morti assuefaciendam esse non eo inficias, mundo eam subtrahendam, nō è mundo tollendam, quòd id ipsum in nostra potestate non sit. Christiano haud detrectanda mors est, neq; inuitè huius vitæ vsura deponenda, neq; interim flagitiosè etiā aut segniter ea defugienda. Continuae hic luctæ expositus est, neq; suam sine opprobrio ac infamia deserere potest stationem. At vbi summo duci ipsum reuocare visum fuerit, hilari se minimeque infracto recipiat animo, ac libera mēte pareat. Neque enim sibi, sed Deo natus est Christianus. Illi viuit, vitam vsq; eò prorogat, dum Deo visum fuerit, traductæ feliciter vitæ præmia decernere; Domino liberum est hanc ei tollere, non sibi se ea exuere, vbi id animo adlibuerit suo. Quod si id in iuuenta atq; ipso ætatis flore cōtigerit, Deo nauatarum ritu age gratias, quòd tua puppi secundo atq; expedito vëto acta ad portum, maturiùs appulerit nauis. Senem te hinc mors eripit, similiter grates persolue, qd'

segniùs quidē nauiganti, hoc tamen com-
modè acciderit, vt minus etiam marinis
fluctib. atq; vndis iactatus sis. Tu interim
neq; nimium properaueris, neque moras
pro tuo libitu voles neçtere, non enim pe-
nes te est imperium vëri, neq; procliue est
naufragium, dum portum nimio conatu
capeffis euitare. Hūc ante meridiem Deus
defunctum laborib. iubet quiescere, illum
sub meridiem reuocat, etiā sub seram no-
ctem plerosq;. Alium vsq; dum primos e-
liciat sudores, exercet, aliū solis ardore tor-
ret, tertium decoquit, prorsusque aridum
atq; exsuccum facit. Neminem tamē suo-
rum obliuiscitur, omnib. tranquillitatem
conciliat, & suam singulis mercedē opor-
tunè distribuit. Nec quisquam ea destitui-
tur, nisi qui prius quàm reuocatus fuerit,
necdum absoluto penso suas operas dese-
ruerit, suamq; importunè mercedem an-
te tempus postularit. Quocirca in illius ac-
quiescendum est voluntate, qui in medijs
erumnis nos dulci quiesce refocillat; Inuisa
minimè propter labores, nobis debet esse
hæc vita, ignaui enim istud atq; abiecti est
animi. Voluptatum nomine neutiquam
amanda, summæ enim hoc vanitatis atq;
extre-

extremæ amentiaë est. At nobis seruiemus
vt Deo seruire possimus, qui post hanc vi-
tam vera nos quiete, ac voluptatibus nun-
quã interituris cumulatè beabit. Mors fu-
gienda non est, ne quid pueris dignũ com-
mittamus, cùm nobis fugientibus ipsa oc-
currat, ac fugacem persequatur virum. Ne-
que quærenda, ne temeritatis notã incur-
ramus, cùm ne is quidẽ qui vult, suo mo-
riatur arbitrio. Tantundem in vno despe-
rationis est, quantũ segnitiei in altero, atq;
cùm vtrunq; istorũ in vitio versetur, neu-
trum fortitudinis ac magnanimitatis lau-
dem meretur, sufficit eam nos cõstanter,
singulisq; horis, ne incautos ac impruden-
tes obruat, expectare, vti enim ipsa morte
nil certius est, ita mortis hora nihil incer-
tius, hac soli summo Deo, vitæ necisque v-
nico auctori, cognita est, cui vt viuamus,
moriaturque nobis omnibus adniten-
dum est.

*Moriendum est vt viuamus, vi-
uendum vt rectè mo-
riamur.*

F I N I S .

F iij

Horatius lib. 2. Carm.

Eheu fugaces, Posthume, Posthume,
 Labuntur anni, nec pietas moram
 Rugis & instanti senectæ
 Afferet, indomitæq; morti.
 Non si trecentis, quotquot eunt dies,
 Amice places illacrymabilem
 Plutona tauris, qui ter amplum
 Geryonem Tityonq; tristi
 Compescit unda: scilicet omnibus
 Quicumq; terra munere vescimur,
 Enauiganda, siue reges,
 Siue inopes erimus coloni.
 Frustra cruento Marte carebimus
 Fractisq; rauci fluctibus Adria,
 Frustra per autumnos nocentem
 Corporibus metuemus Austrum.
 Visendus ater flumine languido
 Cocytus errans, & Danaigenus
 Infame, damnatusq; longi
 Sisyphus Aeolides laboris.
 Linquenda tellus & domus, & placens
 Vxor, neq; harum quas cernis arborum
 Te præter inuisas cupressos
 Vlla breuem dominum sequetur.

Absu-

*Absumet haeres Caeuba dignior
 Seruata centum clauibus, & mero
 Tinget pauimentum superbum
 Pontificum potiore caenis.*

F I N I S.

*Decipimur votis, & tēpore fallimur, & mors
 Deridet curas, anxia vita nihil.*

E R R A T V M.

Fol. 59. lin. 12. gerem, lege genere.





ULB Halle
000 653 918


3




56

AB 154736







PHILIPPI MOR.³
NAEI, NOBILIS
GALLI,

Vitæ Mortisq; atq; adeò huma-
narum actionum Chri-
stiana ac pia con-
sideratio.

INTERPRETE
ARNOLDO FREITAGIO EM-
BRICENSI.



FRANCOFORTI,
Excudebat Christophorus Coruinus.

M. D. LXXXV.

a

